ASPICIS EXIGVAM NEC MAGNI NOMINIS VRBEM
QVAM TAMEN ÆTERNVS CVRAT AMATQVE
DEVS.
HÆC DE LAVREACO RELIQVA EST: HIS
MARCVS IN ORIS
CVM LVCA CHRISTI DOGMA PROFES-
SVS ERAT.

Hinc ergo patet *Lauriacum* non solum jam tunc fuisse conditum, sed & præcipuum locum inter *Norici* Vrbes obtinuisse (A). Cæterum si quis jam porro scire desideret, quinam post jam memoratum *Laurentium Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopi* fuerint, & quos illi *Episcopos Suffraganeos*, quamque amplam habuerint *diœcesin*, ut & qua ratione duæ Ecclesiæ *Lauriacensis* & *Patavienſis* sive *Passavienſis* unitæ sint, dignitasque *Metropolitana* sive *Archiepiscopalis* a *Lauriaco Salisburgum* translata sit, ea de re præ cæteris consulendi sunt *Wiguleus Hundius* in Metropoli Salisburgensi, *Gaspar Bruschius* in (1) duobus illis libris, quos inscripsit *de Laureaco & Patavio Germanico*, & *Wolfgangus Lazius* libro duodecimo Commentariorum de Rep. Romana in exteris Provinciis constituta, Sect. VII. cap. V. ubi in fine ejus Capitis jam memoratum *Gasparem Bruschium*, suppresso tamen nomine, accusat plagii, quod suus de *Lauriaco* veteri Tractatus ab illo clam sibi surreptus, & dolo malo editus sit. Extant insuper etiam in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea* varia antiqua monumenta manuscripta, ad Historiam *Lauriacensem* pertinentia, & quidem præcipue in *tribus* illis Codicibus MStis, quorum hic subjungo brevem notitiam.

Primus Codex MStus ad Historiam *Lauriacensem* pertinens, est membranaceus in quarto, & inter MStos Codices Historicos Latinos *centesimus quadragesimus septimus*. Continet is præter (2) *libros quatuor de rebus a Carolo Magno gestis*, antiquum & hactenus ineditum *Catalogum Archiepiscoporum Laureacensium & Episcoporum Pataviensium* sive *Passavienſium* ab anno Christi CCL. usque ad annum MCCCXIII. cujus

(1) *Impressi sunt Basileæ per Ioan. Oporinum A. 1553. in 8vo.*

(2) *Vide Analect. T. I. pag. 464. & 467.*

(A) *Quæ heic de* Laureaco *disserit noster adprobationem, doctorum pleraque meruere, quæptam tamen a recentioribus nostris feliciori cura luciditorique ordine sunt pertractata. Vide* HANSIZIUM Germaniæ Sacr. T. I. pag. 3. *in Prolegomeno de Norico, Vindelicia, Pannonia & urbe Laureacensi;* JO. CHRISTOPH. *de* JORDAN in Apparatu Geographico ad Historiam gentis nostræ a Segm. CCCLXII. SIGISMUNDUM Callesium in Annalibus Austriæ Part. I. a pag. 26. *Nam ille, qui* in Topographia Austriaca Cl. ac. R. VIRI CAROLI GRANELLII e S.J. *hoc anno* CIↃIↃCCLIX. *recusa, centenos errores recoxit, totidemque insulsis hallucinationibus infelix opus locupletavit, in doctis eruditisque viris ne nominandus quidem mea sententia videtur. Sed nempe* disputatio *ingruit, liber igitur scribendus; more scilicet & ingenio, quo* Post imbrem viles fuevistis crescere fungi.

cujus principium hoc eſt: *Anno Domini* (1) *CCL. Philippus cum Philippo filio ſuo regnat.* (2) *Is Philippus Cæſar Pannoniæ Superioris & Inferioris ac etiam Mœſiarum fuit Dominus, qui Archiepiſcopatum Laureacenſem, qui uſque ad ſua tempora pauper fuerat, divitiis & opibus exaltavit.* Sequuntur deinde ibidem *quatuor* ejus Catalogi *Appendices*, quarum *prima* complectitur *Catalogum antiquorum Regum & Ducum Bavariæ* ab A. Chr. 508. uſque ad A. 1231. Principium ejus hoc eſt: *Anno Domini DVIII. Gens Noricorum & Bojoariorum duce Theodone Romanis ejectis, ad proprias ſedes revertitur &c. Secunda* Appendix continet Diſſertatiunculam de *cauſa*, cur Hiſtoria Archiepiſcopatus *Lauriacenſis* & Epiſcoporum ejus *Suffraganeorum* adeo obſcura & mutila ſit. Incipit autem ea his verbis: *Cum ſacroſancta Laureacenſis Eccleſia ſit tempore Beati Petri Apoſtoli per ipſius diſcipulos Catholica fide accenſa cum aliis Eccleſiis*, (3) *utpote Aquilegienſe, Ravenate, Beneventana, Æmilienſe, Mediolanenſe, & in Galliis Treverenſe, Agrippina, Moguntina, Biſuntina, Lugdunenſe, Remenſe, Senonenſe, Rotomagenſe, Turonenſe, Bituricenſe, Burdegalenſe, Arelatenſe, Viennenſe & Braccarenſe, quæ ſimul & ſemel per diſcipulos a Beato Petro miſſos illuminatæ fide Catholica extiterunt, ſicut in Hiſtoriis Beati* (4) *Hermagoræ & S. Fortunati diſcipulorum Beati Marci Evangeliſtæ plenius continetur, poſſet opponi ab aliquo*, &c. *Tertia* Appendix comprehendit Deſcriptionem *Patrimonii* duorum Imperatorum Romanorum Philipporum, Patris nempe & *Filii, viginti duas* complectens *Civitates*, quod Metropolitanæ Eccleſiæ *Lauriacenſi* ab illis donatum eſt. Incipit autem ea hoc modo: *Nunc reſtat videre, quantum fuerit de Patrimonio Beatorum Principum Philipporum Imperatorum Romanorum*, (5) *qui primi fidem Catholicam receperunt*, &c. *Quarta* denique Appendix continet

(1) *Secundum R. P.* Dionyſii Petavii *Chronologiam, quæ extat in magno ipſius Opere de doctrina temporum, cœpit imperare* Philippus Arabs *A. C. 244. & cum filio* Philippo, *quem Collegam aſſumpſerat, occiſus eſt A. C. 249.* Onuphrius *autem* Panvinius & Sethus Calviſius *referunt eorum interitum ad annum 250. atque Cardinalis* Baronius *Annal. Eccleſiaſt. Tom. II. ad annum 253.*

(2) *Vide* Wigulei Hundii *Metropolim Salisburgenſem, ubi agitur de* Jerardo *Archiepiſcopo Lauriacenſi pag. 109.*

(3) *Vide Card.* Baronii *Annal. Eccleſiaſt. Tom. I. ad A. C. 46. & ejuſdem Notas ad Martyrologium Romanum.*

(4) *Hujus* S. Hermagoræ & *Diaconi ejus* Sancti Fortunati *mentio fit in* Martyrologio Romano *die 12 Julii his verbis*: Aquileiæ natalis S. Hermagoræ, diſcipuli Beati Marci Evangeliſtæ, & primi ejuſdem Civitatis Epiſcopi, qui inter miracula ſanitatum & prædicationis inſtantiam ac populorum converſionem, plurima pœnarum genera expertus, tandem una cum Fortunato Diacono ſuo, capitali ſupplicio perpetuum meruit triumphum. *Ad quem locum videſis Notas Card.* Baronii.

(5) *Vtrum antiqua hæc* Euſebii *traditio de converſione* Impp. Philipporum *ad religionem Chriſtianam vera ſit nec ne, ſatis prolixe diſputat Card.* Baronius *Annal. Eccleſ. Tom. II. in actis anni 246. ubi etiam recte obſervat, complures olim fuiſſe deceptos ſimilitudine nominum; & Philippo Auguſto nonnulla falſo attribuiſſe, quæ revera eſſent* Philippi Auguſtalis in Ægypto Præfecti, *qui pater fuit* S. Eugeniæ *Martyris & ipſe ſub* Imp. Septimio Severo *martyrio coronatus eſt. Vid. Martyrolog. Roman. d. 13. Septembris.*

tinet succinctam recensionem, quantum emolumenti vel damni Archiepiscopatus *Lauriacensis* & Episcopatus *Patavienſis* sive *Fassavienſis* ab unoquoque suorum Præsulum perceperint. Principium autem ejus hoc est: *Sequitur videre in Catalogo Archiepiscoporum Laureacenſium & Episcoporum Patavienſium, qui sint eorum nota digni & benedictione perpetua, & pro quibus ab Eccleſia sit orandum; qui contra cum* (1) *Dathan & Abiron propter mala ſua opera deſcenderunt in abyſſum*, &c.

Secundus Codex MStus, ad Historiam *Lauriacenſem* pertinens, est membranaceus in octavo, & inter MStos Codices Theologicos Latinos *centeſimus octogeſimus*. Continet is varias *Summorum Pontificum aliorumque* ad Archiepiscopatum *Lauriacenſem* pertinentes *epiſtolas*, quarum *duas*, quæ multas ob causas præ cæteris lectu digniſſimæ mihi videntur, integras hic inserendas esse censeo. Earum prima est (2) *Pi-*

A *ligrini*, (3) ultimi Ecclesiæ *Lauriacenſis* Archiepiscopi, qui imperante (4) adhuc *Ottone I.* cognomine *Magno*, (5) An. Chr. 971. Ecclesiæ *Lauriacenſi* cœpit præesse, & sub *Imp. Ottone III.* (6) An. C. 992. obiit. Quo melius autem ea intelligatur epistola, lubet hic mihi præmittere pauca quædam de ipso *Piligrino*, quæ a (7) *N. Schreitweino* B in hactenus inedito *Archiepiſcoporum Lauriacenſium & Epiſcoporum Paſſavienſium Catalogo*, cujus paulo post uberiorem mentionem facturus sum, referuntur his verbis: *Pilgrinus Archiepiſcopus Laureacenſis ſedit Pataviæ annis XXII. electus anno Domini DCCCCLXXI. Iſte fuit Vir magnificus & Eccleſiam ſuam ſtrenue tam in temporalibus quam in ſpiritua-* C *libus gubernavit; ipſam quoque a Bojariis* (8) *occupatam & deſtructam magno ingenio &* (9) *Imperatoris auxilio renovavit in melius, & erexit ac liberavit. Huic Papa Benedictus* (10) *Sextus Pallium miſit ad ſcripta ſua*,

(1) *Vid.* Numer. *cap. 16. verſ. 33.*

(2) *Appellatur is alias etiam* Pilgrinus *&* Pilegrinus, *ſed æque corrupte. Verum enim ejus nomen fuit* Peregrinus, *quemadmodum varii vocantur Sancti, quorum mentio extat in Romano Martyrologio.*

(3) Christianus *enim, qui illi A. 992. ſucceſſit, non jam amplius* Lauriacensis *fuit* Archiepiscopus, *ſed ſolum* Episcopus Passavienſis, *& tam ipſe, quam omnes ejus Succeſſores deinceps caruerunt* Archiepiscopali Pallio.

(4) *Obiit enim* Imp. Otto I. *A. C. 973.*

(5) *Secundum ſupra citatum* antiquum Catalogum Archiepiscoporum Lauriacenſium, *qui extat in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos 147mo.*

(6) *Secundum jam citatum* antiquum Catalogum Archiepiscoporum Lauriacenſium. *In* Hundii *autem Metropoli Salisburgenſi legitur anno 991.*

(7) *Ita videlicet in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto* prænomen *iſtius Autoris abbreviate tantum indicatur per literam* N, *de cujus vera ſignificatione nondum mihi liquet. Vocat Cl.* Lambecius *in Catalogo Librorum a ſe edendorum illum ipſum non abbreviate per literam* N. *ſed expreſſo nomine* Nicolaum *p. 61.*

(8) *An. C. 976. ubi* Henricus *Dux Bavariæ, in rebellione contra fratrem ſuum patruelem* Imp. Ottonem II. *eam Vrbem occupavit.*

(9) Ottonis *videlicet* Secundi.

(10) *Cognominatur is autem quoque* Septimus, *nempe ſi* Benedictus *ille, qui A. 964. in Schiſmate contra* Leonem VIII. *creatus Pontifex & ab* Imp. Ottone I. *Hamburgum relegatus eſt, pro* legitimo *habeatur* Papa *&* Quintus *ejus nominis appelletur.* Benedictus *autem* VI. *vel* VII. *cujus hic fit mentio, ex Epiſcopo Sutrino cœpit eſſe* Papa *A. 975. d. 11. Maji, & cum annos novem Pontificatum geſſiſſet, obiit An. 984. d. 10. Julii.*

ſua, in quibus ſe a perſonali acceſſu ad Sanctorum Petri & Pauli limina, prout deſideraverat, excuſat propter Neophytam Vngarorum Gentem & operam prædicationis ad eoſdem, deinde autem Infulam ac Pallium more ſuorum Prædeceſſorum ſibi mitti poſtulat, ſimul & fidei ſuæ ſuccinctam profeſſionem offerens. Hæc *Schreitweinus.* Quod igitur ſupereſt, integram illam hic ſubjungo *Archiepiſcopi Pilgrini epiſtolam*, non quidem uti eam *Wolfgangus Lazius* libro duodecimo Commentariorum de Republ. Romana in exteris Provinciis conſtituta, Sect. VII. Cap. V. ſatis mendoſe edidit, ſed quemadmodum ea extat in ſupra memorato *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* Codice, inter MStos Codices Theologicos Latinos *centeſimo octogeſimo.*

Ordinis ac nominis (1) *cariſmate prærogato Sanctæ Romanæ Sedis* (2) *Vniverſalis* (3) *Pontifici Benedicto Piligrinus Sanctæ* (4) *Lauriacenſis Eccleſiæ humilis ſervitor fidelitatem precum devotumque ſervitium. Notum fieri dignetur Vobis, Summe Sacerdotum Præſul, quod ſupra omne animi mei deſiderium nunc delectarer, & Apoſtolorum viſitare limina, Veſtraque optabili perfrui Præſentia, & ea facie ad faciem, quæ literis & internunciorum commitato indiciis, Sanctiſſimæ Paternitati Veſtræ coram ratiocinari, niſi quod a neophyta* (5) *Vngarorum gente huc ire prohibeor, apud quam, fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere prædicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ Diœceſis hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus Omnipotens, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui diu clauſam, ut diſciſſo velamine* (6) *duritiæ ſuæ, depoſitaque ferina crudelitate,* (7) *leni jugo Domini colla ſubmittant. A qua ergo præfata Vngrorum gente multis precibus ipſe invitabar venire, aut miſſos meos in opus Evangelii illuc dirigere, ad hos dum transmitterem ſatis idoneos viros ex Monachis Canonicique Presbyteros atque de ſingulis Eccleſiaſticis Gradibus Clericos, & vita & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in Geſtis Anglorum didici, tantum Divina Gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex eiſdem nobilioribus Vngris utriuſque ſexus Catholica fide imbutos, atque ſacro Lavacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum major pars populi eſt, qui ex omni parte Mundi illuc tracti ſunt captivi, qui-*

(1) Cariſmate *ſive* Chariſmate *barbare & corrupte hic ſcriptum eſt pro* characteriſmate Characteriſma *autem idem eſt atque* Characteriſmus *ſive ſignum, quo diverſæ conditionis perſonæ a ſe invicem diſcriminantur.*

(2) *In Laziana editione legitur* Sedis Vniverſalis Benedicto Pontifici.

(3) *Qui diverſo reſpectu ab aliis quidem* Sextus, *ab aliis autem* Septimus *cognominatur. Vide paulo ante peculiarem ea de re annotatiunculam.*

(4) *Ita hic ſcriptum legitur* Lauriacenſis, *non autem* Laureacenſis, *uti in editione Laziana. Vide ſupra pag. 295. & 299.*

(5) *Ita hic ubivis ſcriptum legitur, non autem, ut in editione Laziana* Hungarorum.

(6) *In editione Laziana pro* duritiæ *perperam legitur* divitiæ.

(7) *In editione Laziana perperam legitur* levi.

quibus nunquam ſoboles ſuas licuit niſi furtive Domino conſecrare, modo certatim nullo obſtante timore offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quod Chriſtiano more Oratoria audent conſtruere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præſumunt ſolvere. Ipſi enim barbari, mira Omnipotentis Dei operante Clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus invident, quocunque libet proficiſci, ſed ita concordes ſunt pagani cum Chriſtianis tantamque adinvicem habent familiaritatem, ut illic Iſaiæ videatur impleri Prophetia: Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas. Factum eſt ergo, ut pene cuncta Vngrorum Natio ſit prona ad percipiendum fidem ſanctam. Sed & aliæ Sclavorum Provinciæ ad credendum promptæ; & eſt ibi meſſis quidem multa, operari autem pauci. Vnde quoque viſum eſt jam neceſſarium eſſe, quatenus Sanctitas Veſtra illic aliquos jubeat ordinari Epiſcopos, quia & quondam Romanorum, Gepidarumque tempore proprios ſeptem Antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit & Mœſia, meæ Sanctæ Lauriacenſi, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiæ ſubjectos, quorum etiam quatuor, uſque dum Vngri Regnum Bavariorum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt. Quod (1) nimium grave ac valde oneroſum eſt mihi, ut tot Pontificii Parochias ſolus prædicando circumeam, quibus neceſſitate & adjutorii inopia cogor (2) nunquam meam ſubtrahere præſentiam. Ecce Dominorum amantiſſime, hujuſmodi Eccleſiaſticis mancipatus officiis detineor, &, ni feciſſem moram ſæpedictæ Gentis converſioni, ire & proſterni ad veſtra Sanctiſſima Veſtigia non diſtuliſſem. Legatos tamen meos, præſentium ſcilicet portitores, ad Veſtram deſtinavi Serenitatem, quos audire dignetur (3), quæſo Clementia Veſtra, & eorum meiſque mixtim precibus præbere aſſenſum, quatenus Pallium Infulamque Pontificalem, quod ſpeciale munus honoris ex hac ſede tantum dirigitur Metropolitanis, quod etiam mei Prædeceſſores a glorioſis hujus Principalis Cathedræ Primatibus accipere ſoliti erant, mihi vero hoc ipſum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam Privilegia Apoſtolicæ Autoritatis meæ Eccleſiæ, per eoſdem miſſos veſtris præſentata ſacris obtutibus, more Prædeceſſorum veſtrorum roborari ſupplico & confirmari, ut hac Apoſtolica ſanctione (4) & benedictione munitus, mihi commiſſam populi gubernationem Canonice exſequi valeam, & veſtris rationibus in die Judicii imputetur, quod in illis finibus ex paganis nova Eccleſia Domino lucrata ſit. (5) Quoniam etiam variæ & perverſæ Hæreticorum ſectæ timendæ ſunt, quos ſæpe contigit deprehendi alios, quibus præſunt, errore ſuo corrumpere, quos agnitione Orthodoxæ Veritatis debuerant illu-

(1) *In Laz. edit. pro* nimium *mendoſe legitur* nimirum.

(2) *In Laz. edit. perperam legitur* nonnunquam.

(3) Quæſo *deeſt in Laziana editione.*

(4) *In Laz. edit. deeſt* &.

(5) *In Laz. edit. mendoſe legitur* Quomodo.

illustrare, ut hæc tam pestifera de me amputetur suspicio, solenne symbolum Catholicæ fidei, quam ipse teneo ac doceo, Vestro Apostolatui profitendum salubre censeo. Confiteor & credo Sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius Substantiæ, unius Naturæ, unius Majestatis & Virtutis, & Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor. Fons ergo & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est genuit, Deus Deum, Lux Lucem. Filium quoque de substantia Patris sine initio ante sæcula natum, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut Filius a Patre, ita Pater a Filio est, quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed Deus non de Filio. Si enim Pater fuit semper, habuit filium, (1) cujus Pater esset Deus, & ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor. Spiritum enim Sanctum, (2) qui est tertia in Trinitate (3) Persona, unum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credo esse Deum, unius substantiæ, unius quoque naturæ, nec tamen genitum vel creatum, sed a Patre Filioque procedentem amborum esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab utrisque procedere monstratur, quia Charitas sive Sanctitas amborum esse cognoscitur, & nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed simul Patris & Filii Spiritus dicitur. In relativis vero Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur, quæ cum relativæ tres Personæ dicantur, una tamen Natura vel Substantia creditur nec sicut tres Personas, ita tres Substantias prædico, sed unam Substantiam, tres autem Personas. Quod enim Pater est non ad alium, sed ad Filium, & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris & Filii prædicatur. In hac ergo Sancta Trinitate tres Personas unum Deum confiteor. Ergo non ipsum, qui est Pater, dico esse Filium, vel Spiritum Sanctum fateor, vel ipsum Filium Patrem, nec Spiritum Sanctum fateor, vel eum, qui est Spiritus Sanctus, Patrem vel Filium dicere valeo, sed quod Pater est, hoc esse Filium, hoc esse Spiritum Sanctum sine ulla ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non Naturam Deitatis separo. Tres ergo illas unius atque inseparabilis Naturæ Personas sicut non confundo, ita separabiles nullatenus prædico, cum nullam ante aliam, nullam post aliam, nullam sine alia vel extitisse, vel quippiam operasse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur & in eo quod sunt, & in eo, quod faciunt. Habet enim Pater æter-

(1) *In Laz. edit. legitur* cui.
(2) *In Laz. edit. perperam legitur* quæ.
(3) *In Laziana editione perperam legitur* in Trinitate substantia persona.

æternitatem sine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, & Spiritus Sanctus (1) *æternitatem processionis a Patre & Filio sine nativitate. De his ergo tribus Personis sola Filii Persona hominem verum sine peccato pro liberatione generis humani ex Maria Virgine novo ordine novaque nativitate assumpsit. Novo ordine, quia invisibilis in Divinitate, visibilis monstratur in carne, nova autem nativitate est genitus, quia incorrupta Virginitas & virilem coitum nescivit, & fœcunda per Spiritum Sanctum, carnis materiam ministravit. Dei enim Filius non personam hominis accepit sed naturam. Naturam enim nostram in unitatem suæ Personæ assumpsit. Et idcirco Filius Dei & Filius hominis unus est Christus. In eo namque, quod Filius Dei est, æqualis est Patri, & in eo quod est filius hominis, minor est Patre. Qui etiam, ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulchro resurrexit. Hoc ergo exemplo Capitis nostri in hac carne, qua nunc sum & moveor, resurrecturum me credo. Idem autem Dominus & Salvator noster peracto resurrectionis suæ triumpho, paternam sedem repetiit, a qua per Divinitatem nunquam recessit. Inde in fine seculorum venturus judicabit vivos & mortuos, reddetque singulis, prout gessit quisque in corpore, sive bonum sive malum. Ecclesiam sane Catholicam pretio sui sanguinis redemptam A cum eo credo in perpetuum regnaturam. Credo & confiteor unum Baptisma in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meæ inviolatam me retinere & ab ea nunquam deviare promitto. Qualiter ergo ex prælibata fide idiotas erudire debeam, & ipse in susceptа Novitiorum Ecclesia conversari, rescripto Paternitatis vestræ cautius flagito ut merear edoceri. Memetipsum* (2) *enim iterum Sanctitatis vestræ fidei precibusque subnixe commendo, commendatumque perpetualiter fore inhianter desidero. Dignam autem Vestræ Sublimitatis memoriam, quam tota per Orbem frequentat Ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis votis & orationibus celebrare non desisto. Quidquid etiam humani servitii, quod Vestram deceat Magnitudinem, ex me conferri possit, totum ex toto pro libitu voluntatis Vestræ liberaliter expendere, Pater dilectissime, satago.*

Hucusque (3) *ultimi Archiepiscopi Lauriacensis Pilgrini* ad Summum Pontificem *Benedictum* (4) *VII.* epistola : quæ quidem tantæ fuit efficaciæ, ut jam memoratus Pontifex non solum *Pallium Infulamque Archiepiscopalem* lubens illi concesserit, & *Metropolitanam Ecclesiæ Lauriacensis dignitatem*, aliaque omnia ejusdem Ecclesiæ *antiqua Privilegia* confirmaverit & renovaverit, verum etiam peculiari epistola tam ipsum *Piligrinum*, quam ejus *Archiepiscopatum Lauriacensem*, Imperatori *Ottoni II. Ruperto* Archiepi-

(1) *In Laz. edit. perperam deest vox* æternitatem *ante* processionis.

(2) *In Laz. edit. pro* enim *minus recte legitur* etiam.

(3) *Vide supra pag. 311.*

(4) *Vide supra pag. 310.*

episcopo Moguntino, *Theodorico* Archiepiscopo Treverensi, *Gereoni* Archiepiscopo Colonienſi, *Adalberto* Archiepiscopo Magdeburgenſi, *Friderico* Archiepiscopo Juvavenſi ſive Salztburgenſi, *Adaldago* Archiepiscopo Hamburgenſi & Bremenſi, atque *Henrico* Duci Bavariæ, Imp. *Ottonis II.* fratri patrueli ſpecialiter & quam diligentiſſime commendaverit; uti ex ipſius epiſtolæ contextu, quem ex ſupra memorato Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo Codice MSto integrum hic ſubjungo, videre eſt.

Dilectiſſimis nobis in Chriſto filiis, (1) *Hrodberto S. Moguntinæ Eccleſiæ, & (2) Dioterico S. Treverenſis Eccleſiæ, atque (3) Adalberto S. Magdeburgenſis Eccleſiæ, parique modo (4) Gereoni S. Colonienſis Eccleſiæ, atque (5) Friderico S. (6) Juvavenſis Eccleſiæ, ſed & (7) Adalgago S. Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopis, pariterque Domino noſtro (8) Ottoni glorioſiſſimo Imperatori Auguſto atque (9) nepoti ſuo Henrico præcellentiſſimo Duci Bavariorum, cæteriſque omnibus Epiſcopis & Abbatibus, Ducibus atque Comitibus Galliæ atque Germaniæ, (10) Benedictus Divina Gratia præditus Apoſtolicæ Sedis Pontifex, ſervus (11) autem ſervorum Dei, in Domino ſalutem. Oportet juſtis Jup-*

(1) Hrodbertus, Rudbertus, Ruitbertus, Rubbertus, Rupertus & Robertus *unum atque idem eſt nomen. Scripſerunt autem veteres* Hrodbertus *pro* Rodbertus *quemadmodum* Hrabanus *pro* Rabanus, Hludovicus *pro* Ludovicus *& complura ejus generis alia. Intelligitur autem hic* Rupertus *decimus ſextus Archiepiſcopus* Moguntinus, *qui, teſte* Lamberto Schafnaburgenſi, *A. 969. electus eſt, & A. 977. obiit, ut teſtatur* Joan. Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi. Vide etiam* Nicol. Serarium *Moguntiacarum rerum libro 4.*

(2) *In Epiſtolæ hujus editione* Laziana, *quæ extat lib. 12. Commentarior. de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 5. pro* Dioterico *legitur* Theodorico. *Obiit Archiepiſcopus hic Treverenſis* Theodoricus *A. 977. ut teſtatur* Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi. Errat autem* Petrus Merſſeus *in Catalogo ſuo Electorum Eccleſiaſticorum &* Claudius Robertus *in Gallia ſua Chriſtiana, dum* Theodoricum *illum ſcribunt obiiſſe Anno 970. Ex hoc enim Papæ* Benedicti *diplomate evidenter apparet, eum adhuc in vita fuiſſe A. 975. quo jam memoratus Pontifex cæpit Romanæ Eccleſiæ præeſſe.*

(3) *Obiit hic Archiepiſcopus* Adalbertus *A. C. 981. teſte* Lamberto Schafnaburgenſi.

(4) *Archiepiſcopus hic* Gereon *obiit A. C. 982. ut teſtatur* Joan. Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi.*

(5) *Secundum* Wigulejum Hundium *obiit ille* Fridericus *A. 990.*

(6) *In Laziana editione pro* Juvavenſis *mendoſe legitur* Juvanienſis. Juvavenſis *autem idem eſt atque* Salisburgenſis *ſive* Saltzburgenſis. Salisburgum *enim olim vocabatur* Juvavum. *Vide Anal. T. I. pag. 11.*

(7) *In Laziana editione pro* Adaldago *mendoſe legitur* Adaldango. *Eſt hic autem* Adaldagus *ille, qui An. C. 936. ſub Imp.* Ottone Magno *cæpit eſſe ſeptimus* Hamburgenſis & Bremenſis *Archiepiſcopus, & A. 988. obiit. Vide librum primum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis a pag. 30. uſque ad pag. 41. ut & Chronologiam & Auctarium ejuſdem libri primi, quæ libro ſecundo ejuſdem Hiſtoriæ meæ ſubjuncta ſunt, a pag. 452. uſque ad pag. 501.*

(8) *Intelligitur hic Imp.* Otto Secundus. *ut manifeſte apparet ex Patris ipſius Imp.* Ottonis I. *mentione, quæ paulo poſt in eadem hac epiſtola ſequitur. Errat igitur* Wiguleus Hundius, *ubi in Metropoli Salisburgenſi ſcribit Archiepiſcopum* Piligrinum *a Pontifice* Benedicto *per hanc epiſtolam commendatum eſſe Imp.* Ottoni Magno.

(9) Nepos *per abuſionem hic uſurpatur pro* fratre patruele, *eademque latino-barbara ſignificatione etiam ipſe Imp.* Otto II. *eundem Ducem* Henricum *in diplomatibus ſuis* Nepotem *ſuum appellat, uti videre eſt in ſupra memorati* Wigulei Hundii *Metropoli Salisburgenſi, & quidem pag. 123. ubi agitur de* Piligrino *Archiepiſcopo Lauriacenſi & Epiſcopo Paſſavienſi.*

(10) *Is eſt* Benedictus VII. *qui præeſſe cæpit Ro-*

ſupplicantum petitionibus nos ſemper faciles & humiles exhibere, & præcipue cum fraternis religioſorum Conſacerdotum precibus ſollicitamur, qui paſſim ab omni Mundi termino tenorem & regulam, atque proprii officii vigorem ab hac Vniverſali S. Romana Matre Eccleſia ejuſque ſortiuntur Miniſtro, Vicario ſcilicet Beati Principis Apoſtolorum; cujus, quamvis indigni, ejuſdem tamen gratia & dono poteſtati (1) *nos ſucceſſimus & ordini, cui voce Dominica dicitur: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quapropter dignum æſtimavimus, aſſenſum præbere congruis poſtulationibus Reverendiſſimi Archiepiſcopi Piligrini, quas per probabiles perſonas nobis intimavit, reſponſalium ſuorum, duorum videlicet Presbyterorum, quatenus ſibi Pallium & Metropolitanum honorem Cathedræ ſuæ ſanctæ* (2) *Lauriacenſis Eccleſiæ reſtitueremus, conſinio Vngarorum adjacenti; quod omnino nos eidem Eccleſiæ debere, teſtantur antiquiſſima ſecum adportata Privilegiorum teſtimonia, in quibus continebatur, quod ætate Pontificatus Beati* (3) *Symmachi, hujus almæ Sedis Apoſtolici Præſulis, præfata Sancta Lauriacenſis haberetur Eccleſia* (4) *Metropolis: & in quantum tam exinde, quam etiam de Paſſionibus Beatorum* (5) *Martyrum, qui illic plures in tempore perſecutionis pro fide Chriſti variis ſunt tormentis mulctati, colligere poſſumus, ex omnibus Eccleſiarum Diœceſibus Pannoniæ, hæc antiquitate & Archiepiſcopi dignitate eſſe primitiva creditur; quæ jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deſerta & in ſolitudinem redacta, nullum Chriſtianæ profeſſionis habitatorem meminit, uſque dum Invictiſſimus* (6) *Auguſtus & Pater Patriæ, Genitor quippe pii*

Romanæ Eccleſiæ A. C. 975. d. 11. Maji & A. 484. obiit. Vide ſupra pag. 310. Conſule quoque ſupra citatam Chronologiam & Auctarium libri primi Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis pag. 489.

(11) Particula autem *deeſt in editione Laziana.*

(1) *In Laziana editione deeſt nos.*

(2) *Ita hic conſtanter ſcriptum legitur, nempe* Lauriacenſis *per* I *in ſecunda ſyllaba, non autem* Laureacenſis, *ut in editione Laziana. Vide ſupra pag. 293. & 294.*

(3) Symmachus *ille cœpit eſſe Pontifex Romanus A. C. 498. obiit autem A. 514. Epiſtola ipſius ad* Theodorum *Archiepiſcopum Lauriacenſem, qua illi concedit uſum Pallii & Eccleſiam ejus declarat Metropolitanam, extat apud* Wolfgangum Lazium *lib. 12. Commentarior. de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 5. ut & in* Wigul. Hundii *Metropoli Salisburgenſi, ubi agitur de Archiepiſcopo Lauriacenſi Theodoro, & inter Diplomata Romanorum Pontificum, quæ antiquo* Chronico Monaſterii Reicherſpergenſis, *a* Chriſtophoro Gewoldo *Monachii A. 1611. in 4to edito, ſubjuncta ſunt. Notandum eſt* Wolfgangum Lazium *ſupra citato loco errare, dum ſcribit, epiſtolam illam* Symmachi *Papæ ad Archiepiſcopum* Theodorum *datam eſſe circa annum Domini 480. hoc eſt, integris octo annis ante, quam* Symmachus *in Romanum Pontificem electus eſt.*

(4) Eccleſia Metropolis *pro* Eccleſia Metropolitana. *Eadem loquendi ratio etiam paulo poſt repetitur.*

(5) *Intelliguntur hic ſine dubio præ cæteris Sancti Martyres* Florianus, Quirinus & Maximilianus, *de quibus vide* Martyrolog. Rom. *d. 4. Junii & d. 12. Octobris: item* Cuſpiniani *Auſtriam & Hundii Metropolim Salisburgenſem.*

(6) *Significatur hoc loco Imp.* Otto I. *cognomine* Magnus, *qui A. C. 955.* Hungaros, *quorum plus centum millia in Bavariam irruerant, ad Licum fluvium prope Auguſtam Vindelicorum acerrimo prælio vicit, adeo ut omnes vel in ipſa perierint pugna, vel poſt eam variis modis extincti ſint, nec fere ullus evaſerit. Narrat hoc*

pii (1) *Imperatoris noſtri, (quem adhuc ſupereſſe & diu dominari Mundus exoptat) bellico trophæo eorum vires retudit. Nunc autem, quam ob rem vocibus exultantibus in laudem Omnipotentis Dei erumpimus, non ſolum ſæpe dicta ſancta Lauriacenſis Eccleſia, hoſtium ceſſante terrore, cum accolis ſuis pace & tranquillitate potitur, verum etiam ipſi dudum inimici, illum, quem perſecuti ſunt more gentili, jam jam Chriſtum baptizati profitentur, & Sacerdotes modo habere deſiderant, ac prout ſcire rudes poterunt, venerantur, & Eccleſias quaſdam in ſua terra, quas patres incendio (2) delerunt, poſteri reſtaurare videntur. Hac ergo ſuadente ratione, quod prænominati Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi poſtulatio antiqua Apoſtolica autoritate commendatur, & præterea quod, cum juſtum eſſet, pariterque utile etiam viſum eſt, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fidei Vngrorum atque Maravorum, ſive etiam aliis multis Sclavorum ſuæ Parochiæ finitimis, illic ordinatis Epiſcopis, ſecundum quod antiquitus (3) diſpoſiti erant, eis hunc conſtitueremus Archiepiſcopum (4).*

Quoniam autem Saltzburgenſis Eccleſia (5) Metropolis abuſa eſt ſubjectione Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ (6) Pontificii, obliterata & attenuata ſua dignitate ex devaſtatione barbarorum, quam propterea perceptis Apoſtolicis Privilegiis nequaquam patimur privari, cum & priora ſint Saltzburgenſibus & ideo auctoritativa, quæ conditio teſtimonii etiam apud ſecularia Judicia viget & prævalet, Nos vero in hujuſmodi conſtitutione omnem calumniam atque contentionis occaſionem, Domino adjuvante, facile propulſamus, Parochiis ab invicem certis limitibus ſequeſtratis, & tamen Apoſtolicis Sanctionibus ubique ſtabilitis, quas noſtrum eſt ſemper defendere, & ſecundum Evangelicam ſententiam nihil ex eis ſolvere ſed adimplere. Vnde ergo autoritate & poteſtate Beati Petri Principis Apoſtolorum atque exemplo Pontificum ſcilicet Prædeceſſorum noſtrorum eandem Sanctam Lauriacenſem Eccleſiam, ejuſque Rectores jam Archiepiſcopos a modo perpetim ab omni Saltzburgenſis Eccleſiæ, ejuſque Præſulum ſubjectione ac ditione abſolvimus, & honore Metropolitano ſublimamus, & ſicut modernis temporibus

hoc prolixe coætaneus autor Witchindus, *Monachus Corbejenſis, Annalium ſuorum libro tertio, ubi, quod maxime notandum eſt, expreſſe teſtatur, tantam fuiſſe hanc Imp.* Ottonis I. *de Hungaris victoriam, quantam ante ipſum nemo* intra ducentos annos *obtinuiſſet, ideoque illum ab exercitu* Patrem Patriæ & Imperatorem *eſſe appellatum: more videlicet veterum Romanorum, ſi quis ingens periculum Reipublicæ imminens avertiſſet, vel inſignem ab hoſtibus reportaſſet victoriam.*

(1) *Nempe* Ottonis II. *qui a patre ſuo* Imp. Ottone Magno *A. C. 961.* Rex Romanorum *creatus & Aquisgrani coronatus eſt. Idem A. C. 967. a patre aſſumptus* Collega Imperii, *& Romæ a Papa Ioanne XIII. coronatus eſt. Anno autem 973. d. 7. Maji cœpit a morte patris imperare* ſolus. *Vide ſupra citatam Chronologiam libri primi Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis pag. 486.*

(2) *In Laziana editione mendoſe legitur* dederunt *pro* delerunt.

(3) *In Laz. edit. corrupte legitur* depoſiti *pro* diſpoſiti.

(4) *Reliqua omnia, quæcunque hic deinceps ſequuntur a verbis* Quoniam autem, *&c. uſque ad finem hujus epiſtolæ deſunt in editione Wolfgangi Lazii.*

(5) Eccleſia Metropolis *pro* Eccleſia Metropolitana, *ut ſupra.*

(6) Pontificium *pro* Pontificatu.

bus Sanctæ memoriæ (1) *Agapitus Papa terminos earundem Parochiarum ab invicem distinxit, sic & ipsi diffinimus, ita quoque ut Sancta Saltzburgensis Ecclesia Superioris Pannoniæ Episcopos habeat Suffraganeos, quibus usque huc sui Pontifices præesse videbantur cum tanta talique Diœcesi, quali hactenus in Inferiori usi sunt Pannonia. Sancta autem Lauriacensis Ecclesia in Inferioris Pannoniæ atque Mœsiæ regiones, quarum Provinciæ sunt Avaria atque Maravia, in quibus septem Episcoporum Parochiæ antiquis temporibus continebantur, suique Antistites Archiepiscopalem deinceps potestatem cum tanta talique Diœcesi, quali hactenus in Superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique in præceptis insuper injungimus, ut juxta Beati Gregorii Papæ Decretum Anglorum Archiepiscopis directum, alter illorum qui prior sit in ordinatione, ipse etiam, quoad vivat, prioratum teneat & in ordine. Penitus enim determinatis utriusque Ecclesiæ Diœcesibus, omnique excluſa altercandi occasione, Canonica sub districtione interdicimus, ut neuter earundem Ecclesiarum Archiepiscopus invadere alterius Parochiam præsumat, vel quibuscunque jurgiis aut disceptationibus super diffinitis a nobis modo rebus alter alterum sollicitare audeat. His igitur sedatis, Venerabilem Confratrem nostrum Piligrinum Archiepiscopum Canonicis literis munitum Sedi Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ inthronizavimus, Palliumque ei secundum antiquum ejusdem Ecclesiæ suæ usum direximus, atque in provinciis Avariæ & Maraviæ regionumque Inferioris Pannoniæ sive Mœsiæ, & in contiguis sibi Sclavorum Nationibus circumquaque manentium, nostram Apostolicam Autoritatem & vicem exercere committimus atque delegamus, quatenus illic more anteceſſorum suorum Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum habeat potestatem Presbyteros atque Episcopos ordinare atque constituere, & ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parare Domino plebem perfectam.*

Hucusque epistola Summi Pontificis Benedicti VII. pro Archiepiscopo *Piligrino* ejusque Metropolitana *Lauriacensi* Ecclesia: cujus illustrandæ causa licet jam supra in margine non pauca annotata sint, *duo* tamen restant, quæ necessario adhuc monenda sunt. Horum *primum* est, quod *Wolfgangus Lazius* Pontificem hunc *Benedictum VII.* a quo *Piligrinus* Pallium Archiepiscopale impe-

(1) *Is est* Agapetus Secundus, *qui cœpit præesse Romanæ Ecclesiæ A. C. 946. & Anno 955. obiit. Epistola ejus ad* Gerhardum *Archiepiscopum Lauriacensem, qua antiquam Ecclesiæ Lauriacensis dignitatem Metropolitanam confirmat, & dissidium inter* eandem & Salisburgensem *Ecclesiam æqua transactione componit, extat etiam nunc integra inter Diplomata Romanorum Pontificum, quæ* Christoph. Gewoldus *cum antiquo* Chronico Reichersbergensi *edidit. Particulam quoque ejus citat* Wolfgangus Lazius *lib. 12. Commentariorum de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 5. sed ingentem ibi committit errorem, dum eam falso attribuit Papæ* Agapeto I. *datamque esse scribit circa annum Domini 534. Contrarium enim manifeste apparet, cum ex ætate Archiepiscopi* Gerhardi, *quippe qui sine ulla controversia A. 931. electus est, tum vero etiam ex hac Pontificis* Benedicti VII. *epistola, quippe ubi expresse indicatur, illud contigisse* modernis temporibus, *hoc est, eodem, quo ipse vivebat, ævo sive seculo.*

petravit, falso appellat *Benedictum Tertium*. Quantus enim hic sit error, satis manifeste apparet ex spatio annorum 113. quod interceſſit inter annum Christi 858. quo Papa *Benedictus III.* obiit. & annum 971. quo *Piligrimus* cæpit præesse Lauriacensi Ecclesiæ. *Secundum* est, quod idem *Lazius* duas illas Archiepiscopi *Piligrini* & Pontificis *Benedicti* epistolas *præpostero & inverso* collocat *ordine*, quasi Papæ *Benedicti* epistola prius, quam Archiepiscopi *Piligrini* epistola scripta fuerit, cum tamen ex ipso utriusque Epistolæ contextu contrarium evidentissime appareat. Cæterum quam chara fuerit Imp. *Ottoni II.* Archiepiscopi *Piligrini* per Summum Pontificem *Benedictum VII.* commendatio, abunde liquet ex diplomate, quo & ipse A. C. 977. *Metropolitanam* Ecclesiæ *Lauriacensis* dignitatem confirmavit, uti videre est, ex ejus epitome, quæ in *Wigulei Hundii Metropoli Salisburgensi* extat his verbis:

Idem ille Imp. Otto Secundus constituit Piligrinum hunc Archiepiscopum Lauriacensis Ecclesiæ, deditque pro reparatione Civitatis Patavienſis, quam ipse Otto ab (1) hostibus captam denuo devastaverat, quoddam prædium juris (inquit ipse) nostri, Anespurck nominatum, quod quondam venerandæ recordationis Adalbertus, Patavienſis Ecclesiæ Antistes, ex massa patrimonii S. Lauriacensis Ecclesiæ, Henrico Duci piæ memoriæ patruoque nostro, tradidit in concambium in pago Troungeu, in ripa Anasi fluminis, decemque regales (2) Huobas, ab occidentali parte prædicti fluminis Anasi, in quadam nostri juris villa, nomine (3) Lorach, cum omnibus juribus & pertinentiis. Sicut enim, (inquit Otto Imperator) priscis temporibus S. Lauriacensis Ecclesia, quæ extra murum in honorem S. Stephani Sanctique Laurentii Martyris constructa & dedicata est, ante dissidium & desolationem Regni Bojariorum, Mater Ecclesia & Episcopalis sedes fuit, ita deinceps pristino honore ac dignitate Canonica autoritate perfruatur. Quam & præsenti præcepto nostro renovamus atque roboramus, & jam sæpe dictæ Lauriacensi Ecclesiæ venerabilem Piligrinum reinthronizamus Antistitem, quatenus modo tam ipse, quam omnes sui Successores Lauriacenses fiant & nominentur Pontifices. Datum 3. Nonas Octobris, anno Domini 977. Indict. 6. (4) anno Regni Dn. Ottonis Imperatoris Augusti 17. Actum in Civitate Ratisbona.

Hucusque epitome diplomatis istius, quo Imp. *Otto II.* secundum voluntatem Pontificis *Benedicti VII.* Archiepiscopo *Piligrino* Metropolitanam Ecclesiæ *Lauriacensis* dignitatem confirmavit. Quandoquidem etiam

(1) *Intelligitur frater ipsius patruelis* Henricus *Dux Bavariæ. Vide supra pag. 310.*

(2) Huoba, Hoba & Huba *apud mediæ ætatis Scriptores interdum significat villam aut prædium, interdum autem certam agri portionem, quam Saxones nostri inferiores etiammunc vocant eine* Huve landes. *Vid. Voss. de Vitiis sermonis lib. 2. cap. 9.*

(3) *Alias* Lorich *vel* Lorch. *Vide supra p. 293.*

(4) *Vide Chronologiam libri primi Historiæ meæ Hamburgensis pag. 486. & 491. item supra pag. 322.*

etiam in jam memorati Pontificis *Benedicti* epistola, cujus exemplum (1) supra exhibui, nominatim & expresse facta est mentio duorum Pontificum *Symmachi I.* & *Agapeti II.* quoniamque duæ istæ illorum epistolæ, ad quas ibi respicitur, non minus raræ, quam ad pleniorem Historiæ *Lauriacensis* cognitionem præ cæteris necessariæ sunt, rem me facturum arbitror Antiquitatum Ecclesiastica-
A rum amatoribus haud ingratam, si ea hic integra inseruero, quemadmodum a (2) supra laudato *Christophoro Gewoldo* ex MSto Codice Monasterii *Reicherspergensis* deprompta & publicata sunt. Primum itaque eorum hoc est (A):

SYMMACHVS (3), *Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia DEI Episcopus, Reverendissimo & Sanctissimo Fratri* (4) *THEODORO, Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Diebus vitæ tuæ Pallii usum, quem ad Sacerdotalis Officii decorem, & ad ostendendam unanimitatem, quam cum Beatro PETRO Apostolo universus grex Dominicarum ovium, quæ ei commissæ sunt, habere dubium non est, ab Apostolica Sede, sicut decuit, popposcisti: quod, utpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ, Majorum more libenter indulsimus, ad ostendendum, te Magistrum & Archiepiscopum, tuamque Sanctam Lauriacensem Ecclesiam Provinciæ Pannoniorum Sedem fore Metropolitanam. Idcirco Pallio, quod ex Apostolica Caritate tibi destinamus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiæ tuæ, sollerter ammonemus, pariterque volumus, ut intelligas, quia ipse vestitus, quo ad Missarum Solennia ornaris, signum prætendit Crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in affectu crucifigi.* (5) *Vndecimo, cum te foris hujusmodi* (6) *insignio indue-*

X 3

(1) *Vide supra pag. 319. 320. & deinceps.*
(2) *Vide supra pag. 321. Consule etiam* Wosg. Lazium *lib. 12. de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 5. &* Wigulei Hundii *Metropolim Salisburgensem, ubi agitur de* Theodoro & Gerhardo *Archiepiscopis Lauriacensibus.*
(3) Primus *ejus nominis. Vide supra pag. 318.*
(4) *Vide supra pag. 318.*
(5) *Pro voce* undecimo, *quæ hic sine dubio corrupta ac mendosa est, legitur apud Lazium* Vnde ergo; *apud Wiguleum autem Hundium* Vnde rogo *&c.*
(6) Insignium *latino barbare pro* insigni.

(A) *In appendice libri hujusce secundi Additamentum huic loco adjecerat noster hoc:* ADDITAMENTUM XII. pertinens ad paginam 640. & deinceps, ubi agitur de *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* antiquo Codice membranaceo, inter MStos Codices Theologicos Latinos *centesimo octogesimo*, quo continentur varia antiqua *Diplomata ad Archiepiscopatum Lauriacensem* pertinentia. Alium ejusdem argumenti *Codicem membranaceum MStum*, sed *antiquiorem, auctiorem, & longe melioris notæ*, reperi nuper fortuito inter illos *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* Codices MStos Theologicos Latinos, qui nondum integre perlustrati, nec certis numeris adhuc notati sunt. In hoc igitur egregio Codice extant etiam *Diplomata* illa *duo* Summorum Pontificum *Symmachi I.* & *Agapeti II.* quæ supra pag. 650. 651. 652. & 653. secundum *Christophori Gewoldi* editionem a me exhibita sunt, & cum jam memorato Codice MSto diligenter conferentur, cum primum in sequentibus horum Commentariorum Libris *Archiepiscopatus Lauriacensis* denuo facienda erit mentio. *Hæc ille. Quo promisso adhucdum tenetur;* CL. HANSIZIUM, *etsi nihil adnotet, docte id præstitisse existimem; his enim codicibus fuisse usum constat.*

indueris, intus in animo considera, quod hoc sit magis oneris, quam honoris, atque cor tuum, DEO regente, ab appetitu istius seculi sic tempera, ut & commissam exequi gubernationem studeas, & adeptæ dignitati, cujus sublimaris Officio, & A probitate morum, & vivacitate sollicitudinis, ac custodia integerrimæ fidei congruas, quatenus tu ipse a Remuneratore omnium bonorum DEO & benedictionis gratiam, vitamque æternam consequi merearis, Amen.

Hucusque diploma primum: alterum autem est hoc:

Agapitus (1) *Episcopus, servus servorum Dei, Fratri dilectissimo & Reverendissimo Gerardo, Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in Christo salutem. Petitiones tuas pro renovandis sive approbandis Ecclesiæ tuæ Privilegiis Venerabilis Fuldensis Monasterii Abbas Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna benevolentia nostræ experientiæ suggessit, pariterque jurgia & disceptationes gravissimas inter te & Heroldum Archiepiscopum* (2)*, pro utrinque susceptа in una Provincia Pallii autoritate exortas, flebiliter nunciavit, quod & ipsi ex debita pastorali cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe Sancta & Vniversalis Ecclesia, cui authore Deo præsidemus, a religiosis atque pacatis Sacerdotibus suis, & in charitate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur, discordantibus autem & adversum se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, præsertim tantis Pontificibus, velut evulsis sustentaculis cassura, non sine magno periculo & vigoris sui detrimento a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum de foris inter vos pro Pallii honore pertinaciter hujusmodi contentio exercetur, agitur, ut in fraterna æmulatione decor Sacerdotii intus evacuetur. Inde ergo, Frater, officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente, dissidium Sanctæ Dei Ecclesiæ atque scandalum sine consilii & utilitatis vestræ respectu diutius nutriatur, ad sequestrandum litem vestram accedimus nos arbitri tam ex solicitudine a Domino regiminis injuncti, quam amborum vestrorum amore ad hoc permoti, ita videlicet, ut & de prælibata conflictus vestri querimonia rationalibus judiciis rite justitiæ satisfaciamus, & vos omni explosa controversia in fraternam concordiam, Christo moderante, revocemus. Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus Ecclesiarum locis dignitas Pallii ab hac Apostolica Sede debeatur. Lauriacensem autem Vrbem antiquitus Metropolitanam fore & Archiepiscopi Sedem, cui Sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in* (3) *Privilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus, ita quoque inventis quibusdam exemplaribus, chartæ vetustate admodum attritis, in* (4) *Archivo Sancti Petri repe-*

(1) Secundus *ejus nominis. Vide supra p. 325.*

(2) *Nempe* Salisburgensem. *In Wigulei Hundii Metropoli Salisburgensi vocatur is* Gerolfus, Comes de Scheurn, & *Archiepiscopatus ejus initium refertur ad annum 943.*

(3) *Innuitur proxime præcedens epistola* Pontificis Symmachi primi. *Vide supra pag. 329.*

(4) *Notabilis locus de* Archivo S. Petri *Romæ; unde liquet* Bibliothecam Vaticanam *ea ætate nihil aliud fuisse, quam* Archivum S. Sedis Apostolicæ.

reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ & immanissima Christianorum persecutione a Doctoribus istius Sedis Catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse, & exinde a succedentibus Prædicatoribus in Superioris atque Inferioris Pannoniæ Provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus Provinciis illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunnorum non alius, quam Sanctæ Lauriacensis præfuit Archiepiscopus; quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem Civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes Regiones depopulavit atque funditus desolavit. Inde quidem contigit, ut Episcopi hac necessitate compulsi, Sede illa deserta atque alio translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius Sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab Apostolico Vicario Bavariorum Regno, Arno, primus Sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ subrogatur Archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis (1) Sacri Scrinii Historia. Modo autem mortalibus, propitiante Christo, ab hostilibus Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ quiete & inhabitandi securitate concessa, non alibi, quam ibidem Fraternitatis tuæ Cathedra oportet haberi. Quapropter reinthronizamus te eidem Ecclesiæ Sanctorum Patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ memoriæ Domini Leonis Papæ, a quo Excellentia tua, Pallio ac privilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes, ac sæpedictam Sanctam Lauriacensem Ecclesiam potestate & vice Beati Petri Apostolorum Principis absolvimus & archiepiscopamus, & in culmen Metropolitanum sublimamus, & Privilegia nobis transmissa manu propria munimus & corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi Pallium cum præsenti præcepto secundum usum prius concessum, Successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras & dissensiones, præfata ex causa derivatas, dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sic ut utrique vestrorum modo susceptus servetur Pallii honor illæsus, hortantes quatenus Apostolice instituti, a modo non in contentione & æmulatione maneatis. Constat quidem quod Canonice singulis Provinciis singuli ordinantur Metropolitani, proinde distribuere atque determinare ita vobis Parochias, bonum & pacificum æstimamus, ut divisis duabus Noricæ regionis Provinciis, Heroldo Archiepiscopo Occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia, tibi autem Successoribusque tuis propter emeritam antiquitatem Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assurgit, in benedictionis & Sedis ordine Prælatis atque Præpositis providentiam Orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum atque Maraharorum, sed & Sclavorum, qui modo Christiani, vel adhuc per Baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium credimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro, ubi opus

(1) *Notabilis locus, ubi* Archivum S. Petri *sive* Bibliotheca Vaticana *vocatur* Sacrum Scrinium.

opus est, Episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare tali autoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus. Quod si jam dictus Heroldus Archiepiscopus deinceps suorumve quispiam Successorum minime diffinito limite contentus, sed interdictam atque a sua potestate separatam Diœcesin repetere pervicaciter conatur, nec a prohibitæ contentionis schismate per istas nostras Apostolicas traditiones atque determinationes compescitur, ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus privetur, atque secundum jus pristinum Superior Pannonia continuetur Inferiori atque tuæ tuorumque Successorum ambæ perpetualiter subjaceant ditioni. Allubescentes autem assensumque præbentes istis nostris saluberrimis Decretis benedicimus & Catholicos approbamus, resistentes vero atque infirmare, vel omnino pervertere contendentes anathemate Sanctæ Trinitatis districte percutimus, & Apostolica sententia, qua mulctati Ananias & Saphira exspiraverunt, damnamus, & cum blasphematoribus Sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus. Tertius Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codex MStus, ad Historiam *Lauriacensem* pertinens, est chartaceus in folio, & quidem unus eorum MStorum Codicum Historicorum Latinorum, qui nondum certis numeris notati sunt. Continet is a folio 335. usque ad folium 387.

A Historiam, cujus titulus sive Inscriptio: *Catalogus Archiepiscoporum Lauriacensium & Episcoporum Pataviensium, per* (1) *N. Schreitwein collectus ad Fridericum* (2) *Tertium Romanorum Imperatorem.* Principium Præfationis ejus hoc est: *Priscorum charitatem ad nos Patrum, qui non solum carne, sed & per Evangelium in Christo nos genuerunt,* &c: Ipsum autem Opus incipit his verbis: *Cæterum perlustrando Historias & variorum Ducatuum Privilegia, Vitas quoque Sanctorum, quorum meritis & doctrinis, abjectis spurcis idolorum cultibus, Martis præcipue & Jovis, quibus hujus Provinciæ quondam delusa vesania incolarum dedita fuisse dignoscitur, prout apparet ex ipsorum statuis, quæ hodie Viennæ præ foribus S. Stephani cancello ferreo inclusæ servantur,* &c. Prima Ecclesiæ *Lauriacensis* (3) origo refertur ibi ad annum Æræ Christianæ vulgaris *quadragesimum septimum,* ipsaque verba, quibus ea de re agitur, sunt hæc: *Claudii Augusti anno secundo S. Petrus fertur Romam venisse, qui quarto sui adventus anno ab Incarnatione Domini XLVII. per suos Prædicatores Lauriacensem Vrbem per fidem Catholicam visitavit. Hæc ergo Lauriacensis Civitas inter alias harum Partium Civitates prima meruit Fidei & Evangelii Prædicatores suscipere per B. Petrum, mediante B. Marco, qui postquam Romæ scripserat Evangelium, quod B. Pe-*

(1) *Vide supra pag. 310. in margine.*

(2) *Imp.* Maximiliani I. *patrem, qui alias etiam appellatur* Quartus, *revera autem* Quintus *cognominandus est. Qua de re vid. Additament. I. Diarii mei Sacri Itineris Cellensis p. 217.*

(3) *Vide supra pag. 303.*

Petrus probavit, & Eccleſiis legendum ſua autoritate dedit, (ut S. (1) *Hieronymus in libro de Viris Illuſtribus affirmat) ad Aquilejam prægrandem Civitatem Epiſcopus mittitur, ibique doctrina & miraculis clareſcens,* (2) *B. Hermagoram, quem inibi ordinavit Epiſcopum pro ſe, & Fortunatum Archidiaconum inſtituit, & per eoſdem ad has noſtras oras Evangelii Prædicatores deſtinavit; inter quos* (3) *Syrus, qui Pupiam miſſus, &* (4) *Eventius Brixiam, & quidam* (5) *Laurentius extitit, qui Lauriacum cum aliis venit prænominatis,* &c. Perducit *Schreitweinus Lauriacenſem* hanc & *Patavienſem* Hiſtoriam uſque ad *Vdalricum*, tertium ejus nominis Epiſcopum Patavienſem, cognomine *de Nusdorf*, qui (6) An. Chr. 1452. electus eſt, clauditque ſuam de eo narrationem his verbis: *Contra Huſſitas perfidos hæreticos Bohemos nullus Prælatorum ita ſtrenue ardueque pugnavit, quemadmodum ipſe Vdalricus Patavienſis Reverendiſſimus. Litis enim tempore peditum equitumque ad octo millia ſuis expenſis & ſtipendiis conduxit contra hæreticorum Bohemiæ rabiem, tanquam fidei religionis robur. Novam etiam Civitatem muris, mœniis turribuſque, omnibus machinis & inſtrumentis bellicis in Caſtro Waldtkirchen nomine magnifice adornavit.* Hucuſque *Schreitweinus*. Sequitur deinde *anonymi* cujuſdam *Appendix* ſeu *Continuatio* ab An. C. 1477. uſque ad A 1514. ubi ea deſinit his verbis: *Eodem anno, nono die menſis Auguſti, facta eſt magna diſſenſio inter Studentes & Wiennenſes, & imperatum eſt Studentibus a Civibus, ut infra ſpatium unius horæ diſcedant de Civitate, & venerunt Krembs duodecimo die hujus menſis ducenti quinquaginta in uno ordine, & in toto receſſerunt de Wienna in numero nongenti.*

Et hæc quidem hactenus de pervetuſta *Norici Ripenſis* Vrbe *Lauriaco* ejuſque *Metropolitana dignitate* hic inſerenda eſſe duxi, quoniam, ut (7) ſupra jam narratum eſt, *Ipſi S. Cæſ. Majeſtati* in *Itinere* ſuo *Oenipontano* propter antiquam iſtius loci celebritatem integrum diem decimum quintum Septembris *Aniſiæ* ſubſiſtere placuit. Sequenti autem die 16. Septembris perrexit CÆSAR ad Oppidulum *Eberſperg*, in dextra (8) *Trauni* fluvii ripa ſitum, atque inde poſt prandium per jam memorati fluminis pontem in ſiniſtram ripam tranſgreſſus, contendit ad Vrbem *Ovilabim*, vulgo nunc *Wels* dictam, ibique circa veſperam ſatis ſplendido, ut par erat, apparatu ex-

(1) *Vide* S. Hieronym. *de Script. Eccleſiaſt. cap. 8.*
(2) *Vide ſupra pag. 290.*
(3) *Vide* Martyrolog. Roman. *d. 9. Decembris & ibidem Notas Cardinalis* Baronii.
(4) *Vide* Martyrolog. Roman. *d. 12. Septembris, ubi vocatur* Juventius. *Vide etiam ibidem Notas Card.* Baronii.
(5) *Vide ſupra pag. 293.*
(6) *In* Hundii *Metropoli Salisburgenſi legitur A. 1451.*
(7) *Vide ſupra pag. 293.*
(8) *Vulgo* Traun *vel* Draun, *quemadmodum etiam in diplomate* Imp. Friderici I. *cujus particula apud* Lazium *lib. 12. de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 3. pag. 1063. extat, idem fluvius vocatur* Druna.

exceptus est. Mane subsequentis diei XVII. Septembris, priusquam CÆSAR inde proficiscceretur, ad SE curavit me accersi, clementissimeque inquisivit, quomodo nudius tertius antiqui *Lauriaci* investigatio mihi successisset. Retuli igitur quam potui brevissime, quid de veteri desolatæ istius Vrbis *situ* ipse propriis oculis (1) observassem; simul & ostendi antiqua illa (2) *numismata*, quæ uno die ibi collegeram. Mutato dehinc sermonis argumento, indicavi paucis, accedere me opinioni præstantissimi Geographi *Philippi Cluverii*, qui capite quinto Chorographiæ Vindeliciæ & Norici ex situ ad *Traunum* amnem, & ex distantia *vicies mille passuum* inter *Lauriacum* & *Wels*, recte colligit, jam memoratam Vrbem *Wels*, sine dubio eandem esse, quæ in *Antonini Itinerario* vocatur (3) *Ovilabis:* ideoque verisimillimum mihi videri, (4) ex veteri hoc nomine *Ovilabis* ab imperito vulgo initio quidem per aphæresin, omissa videlicet prima syllaba *O*, factum esse *Vilabis*, deinde autem per (5) mutationem *V* in *W* & *I* in *E Welabis*, & tandem per syncopen *Welabs*, (6) *Welas* & *Wels*. Neque illud silentio prætereri potui, *Wolfgangum Lazium*, ubi de antiquo hujus Vrbis nomine agit, solita sua uti levitate & inconstantia. In *Commentariis* enim *de Rep. Romana* in exteris Provinciis constituta, & quidem lib. XII. Sect. VII. Cap. III. tradit, Vrbem *Wels* eandem esse, quæ in antiqua *Notitia Utriusque Imperii Romani*, ubi agitur de *Pannonia prima* sive *Superiori & Norico Ripensi*, vocatur *Falsiana*, & ex priori hujus nominis parte *Fals* existimat factum esse nomen *Wels*. Sed si quis omnes usque ad hunc diem publicatas jam memoratæ *Notitiæ* editiones inspexerit, deprehendet ibi unanimiter legi *Fasiana*, non autem *Falsiana*, quemadmodum *Lazius* opinionis suæ stabiliendæ causa falso credidit legendum esse. In alio autem ejusdem *Lazii* hactenus inedito (7) Opere, quod *Chorographia Utriusque Austriæ* inscribitur, & propria ipsius manu in membrana exaratum extat in *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* Codice MSto, inter MStos Codices Historicos Latinos *quadringentesimo vigesimo septimo*, legitur Vrbem *Wels* olim fuisse appellatam *Locum Felicem*, & ex *Felix* per syncopen *Felx*, atque inde per mutationem *F* in *W* & *X* in *S* factum esse nomen *Wels*. Ipsa ejus verba pagina *undecima* sunt hæc: *LOCVS FELIX, a Legione videlicet*

(1) *Vide supra pag. 293. & deinceps.*
(2) *Vide supra pag. 294.*
(3) *Pro* Ovilabis *legitur etiam in eodem Itinerario* Ovilabim & Ovilabin *casu accusativo. Vid.* Hieronymi Suritæ *editionem p. 55. 56. & 57.*
(4) *Hæc mea est opinio,* Cluverius *autem existimat locum illum antiquitus a* Noricis *vernaculo sermone fuisse appellatum* Willabs, *nomenque hoc a* Romanis *postea esse mutatum in* Ovilabis.
(5) *Vide* Gerard. Joan. Vossii *Tractatum de* literarum permutatione, *qui ipsius Etymologico Linguæ Latinæ præfixus est.*
(6) *Ita vocatur hic locus in diplomate* Imp. Friderici I. *cujus particula extat apud* Lazium *lib. 12. de Rep. Rom. sect. 7. cap. 3. quippe ubi legitur* banus mercati in loco Welas, & Arnoldus Comes de Welas.
(7) *Vide supra pag. 290.*

licet Tertia Augusta Felice, quemadmodum & Lacus, denominatus, cujus Antonini Itinerarium subinde post Laureaci enumerationem mentionem facit, hodie WELS, veteri voce barbare utcunque expressa. Hæc *Lazius* in supra memorata Chorographia Austriæ. Ubi *primo* notandum est, in *Antonini Itinerario*, quod hic a *Lazio* citatur, nullam *Loci Felicis*, sed tantum *Lacus* (1) *Felicis* mentionem reperiri. *Secundo* notandum est, *Lacus Felicis* ibi non fieri mentionem *post Lauriacum*, ut falso tradit *Lazius*, sed statim *post Arlapen* & proxime *ante Lauriacum*. Vnde meridiana luce clarius appareret, per *Lacum Felicis* non intelligendam esse urbem Wels ad amnem *Traunum* in *Austria Superiori*, sed alium aliquem locum ad *Danubium in Austria Inferiori*. *Tertio* notandum est, ipsum *Lazium* manifeste sibi contradicere, dum non solum Libro 12. Commentariorum de Rep. Rom. sect. 7. cap. 2. verum etiam in illa ipsa jam citata & hactenus inedita *Chorographia Utriusque Austriæ*, & quidem pagina *sexta*, asserit *Lacum Felicis* esse illum *Austriæ Superioris* lacum, salis coctura & sapidissimis piscibus celebrem, qui ab Vrbe *Gmunden* vulgo appellatur *der Gmundersee*, quemque *Traunus* amnis medium interfluit. Quemadmodum igitur ex propria hac ipsius *Lazii* confessione liquet, per *Lacum Felicis* non significari Vrbem *Wels*, sic *Philippus Cluverius* in supra citata Vindeliciæ & Norici Chorographia æque clare demonstrat, per *Lacum Felicis* non esse intelligendum *Lacum Gmundensem* in *Austria Superiori* ad *Traunum* amnem, sed *Walsee* in *Austria Inferiori* ad *Danubium*. Addidi denique & hoc, secundum (2) *Wolfgangi Lazii* & (3) *Jani Gruteri* testimonium extare etiamnunc in celeberrimo *Monasterio Lambacensi*, vulgo *Lambach*, quo eodem adhuc die circa meridiem essemus perventuri, antiquam quandam *Inscriptionem Romanam*, in qua *Ovilabis* abbreviate appellaretur COLONIA AVRELIA ANTONINIANA OVIL.; summo igitur illius videndæ desiderio me teneri, eaque visa, qualem ipse inveniissem, & qua fide ac diligentia ab aliis antehac descripta & publicata esset, deinceps indicaturum. Impetrata hoc modo clementissima demissione, properavi post *S. Cæsareæ Majestatis* discessum & ego ad jam memoratum *Monasterium Lambacense*, vulgo *Lambach* dictum; cumque eo perveniissem, & mox a prandio ad CÆSAREM accersitus essem, perbenigna IS & quadam quasi familiari instigatione leniter subridens ammonuit, ut promisso satisfacerem matutino, nec propter antiquam tantum illam *Inscriptionem*, cujus a me facta esset men-

(1) Felicis *est hic casus genitivus nominis proprii. Ita enim* Lacus *ille sine dubio cognominatus est a* Sextilio Felice, *de cujus rebus gestis in* Norico *vide* Tacitum *lib. 3. Histor. cap. 5.*

(2) *Commentarior. de Rep. Rom. lib. 12. sect. 7. in fine capitis 4.*

(3) *In Magno antiquarum Inscriptionum Syntagmate, pag. 345. Inscript. 5.*

mentio, ſed & vel propter (1) *nominis Gentilitii* ſimilitudinem *Lambacenſi Monaſterio* perluſtrando unam alteramve horam impenderem. Erat hoc profecto ſponte currenti calcar addere: itaque non hoc ſolum diligenter me facturum pollicitus ſum, ſed &, quandoquidem ſpectatu dignum (2) *Trauni* fluminis *Cataracten*, vulgo *der Traunfal* dictum, duo tantum milliaria Germanica inde abeſſe intellexeram, demiſſiſſime petii, ut mihi liceret ejus viſendi cauſa extra viam ordinariam aliquantulum evagari, & per unam noctem a comitatu aulico abeſſe. Qua licentia clementiſſime conceſſa, CÆSAR quidem recta petiit Vrbem (3) *Veclabrigam* ſive (4) *Veclepontem*, *vulgo Föklabruck* dictam, quæ ad præterfluentem amAniculum Veclam, vel, ut vulgo nunc ſcribitur *Föcklam*, ſita eſt, ibique proximam tranſegit noctem: ego autem in Monaſterio *Lambacenſi* aliquantulum remanens, ductu R. P. Prioris cum alia multa ſpectatu digna ibi contemplatus ſum, tum inprimis *duo*, quorum hic præ ceteris ſpecialem mentionem faciendam eſſe cenſeo. Horum *primum* eſt *Cenotaphium Adalberonis Comitis de Lambach*, qui (5) A. C. 1045. poſt S. Brunonem unanimi totius Capituli conſenſu Epiſcopus Herbipolenſis electus eſt, & (6) A. 1090. in jam memorato Lambacenſi Monaſterio, quod (7) ipſe fundaverat, obiit. Extat illud in medio Templo ejus Monaſterii, ſolo aliquod pedes eminens, & cum hac Inſcriptione:

ADALBERONI,
SANCTITATE ET SANGVINE ILLVSTRI
HERBIPOLENSI EPISCOPO ET COMITI (8) DE LAMBACH,
FVN-

(1) *Idem enim eſt apud Germanos inferiores* Lambeck, *quod apud Germanos ſuperiores* Lambach. *Vide lib. 1. horum Commentariorum pag. 80. ubi agitur de nomine* Busbeck.

(2) *In* Imper. Friderici I. *diplomate, cujus fragmentum extat apud* Wolfg. Lazium *lib. 12. de Rep. Roman. ſect. 7. cap. 3. pag. 1063. vocatur hic cataractes* Caſus Drunæ.

(3) Veclabriga *eodem modo formatum eſt uti* Samarobriga, Juliobriga, Artobriga, *& complura alia ejus generis nomina topographica, in quibus omnibus terminatio* briga *vel* brica *pontem ſignificat. Vide Philippi Cluverii German. Antiqu. lib. 1. cap. 7.*

(4) *In paulo ante citato* Imp. Friderici I. *diplomate, cujus fragmentum* Lazius *libro 12. Commentarior. de Rep. Rom. ſect. 7. cap. 5. inſeruit, pro* ad Pontem Veclæ *corrupte legitur ad* portum Vechlaha.

(5) *Vide* Hermannum Contractum *&* Lambertum Schafnaburg *ad annum 1045. Legitur autem ibi* Adelbero *pro* Adalbero.

(6) *Vide* Bertoldi Conſtantienſis *Appendicem ad* Hermanni Contracti *Chronicon in actis anni 1090. In anonymi autem* Monachi Erfordienſis *Additionibus ad* Lambertum Schafnaburg *numerus hic culpa librariorum perperam omiſſus eſt, ideoque* Adalberonis *obitus ibi videtur falſo referri ad præcedentem an. 1089.*

(7) *Confirmat hoc* Paulus Langius *in Chronico ſuo* Citizenſi *his verbis*: Anno Domini 1078. Imp. Henricus (Quartus) Adalberonem Epiſcopum Civitatis Wirtzburg propter adhæſionem Papæ & Rodolphi novi Regis expulſum, SVVM ad Monaſterium Lambach redire coegit, loco ejus Meginhardum Epiſcopum conſtituens. *Hæc* Langius. *Vbi reciprocum pronomen* SVVM *ſine dubio idem ſignificat atque* a ſe fundatum. *Perperam autem* Gaſpar Bruſchius *&* Gabriel Bucelinus *in Catalogo Epiſcoporum Herbipolenſium fundationem Monaſterii* Lambacenſis *non ipſi* Adalberoni, *ſed* parentibus *ejus attribuunt. Quem errorem ipſe etiam* Bucelinus *improbat in Catalogo Monaſteriorum Germaniæ.*

(8) *Vera hæc eſt & genuina hujus nominis ſcriptura. Apud* Bruſchium *autem in Catalogo Epiſcoporum Herbipolenſium pro* Lambach *corrupte*

FVNDATORI HVIVS LOCI MVNIFICO,
POST (1) SEX AB EIVS OBITV SECVLA ET CREBRA MIRACVLA,
DVM SACRAM HANC ÆDEM SENIO DEPRESSAM
FVNDITVS EXTRVXISSET,
NE GEMMA DEESSET ANNVLO,
HOC QVOQVE MONVMENTVM EREXIT
(2) PLACIDVS ANTISTES MONASTERII.

Hucusque Inscriptio istius Cenotaphii. In qua, ubi legitur Monumentum hoc erectum esse *post sex* ab Episcopi Adalberonis obitu *secula*, videtur culpa sculptoris omissum esse adverbium *fere* vel *pæne*. Nam ne nunc quidem, hoc est anno Æræ Christianæ 1668. quo hæc scribo, integra *sex* ab ejus obitu secula præterierunt, quippe cum is sine ulla controversia A. C. 1090. obierit. Testatur enim hoc coætaneus Autor (3) *Bertoldus* Presbyter Constantiensis, qui *Hermanni Contracti* Chronicon continuavit usque ad annum 1100. his verbis: *Anno MXC. Adalbero reverendæ memoriæ Wirceburgensis Episcopus, unus de antiquioribus Episcopis, in causa S. Petri strenuissimus contra* (4) *Guibertum & ejus* (5) *complices, post multa pericula, persecutiones &* (6) *exilia*

rupte legitur Laymbach. *Similiter quoque in* Gabrielis Bucelini *Germania Sacra, ubi Episcopi Herbipolenses recensentur, pro* Lambach *perperam legitur* Leimbach; *& in ejusdem nomenclatura Monasteriorum Germaniæ pro* Lambach *multo adhuc corruptius legitur* Laymburg. *Æque mendose in fragmento diplomatis* Imp. Friderici I. *quod* Wolfg. Lazius *l.b. 12. de Rep. Rom. sect. 7. cap. 3. inseruit, pro* Lambach *legitur* Lauenbach, *quod porro ipse* Lazius *æque perperam mutandum censuit in* Labenbach. *Corrigendum quoque est* Bertoldi Constantiensis *Chronicon ab* Vrstisio *editum, quippe ubi itidem pro* Lambach *corrupte legitur* Laubach. *Verum & genuinum nomen* Lambach *retinet etiam nunc amniculus* Lambach, *hoc est, si ad verbum vertatur,* Agninus Rivus, *ad quem Vicus* Lambach *cum* Monasterio *cognomine situs est. Cæterum quod ad Genealogiam veterum* Comitum de Lambach *attinet, videsis* Lazium *supra citato loco Commentariorum de Rep. Rom. & lib. 7. de Migrat. Gent. pag. 408. Consule quoque* Hieronymi Henningii *magnum Opus Genealogicum Parte priori secundi & tertii Regni in quarta Monarchia pag.* 521.

(1) *Deest hic particula* fere *vel* pæne.

(2) *Præest etiamnunc Reverendissimus ille Dominus Abbas Lambacensi Monasterio. Quoto autem Christi vel regiminis sui anno is monumentum hoc erexerit, id mihi est incognitum.*

(3) Bertoldi Presbyteri Constantiensis Chronicon, *quod hic citatur, primus in lucem edidit* Christianus Vrstisius *Basileensis in Syntagmate Illustrium Historicorum Germaniæ, Francofurti typis Wechelianis Anno 1585. edito in folio. Caute autem illud legendum est, quia* Bertoldus *iste incredibili flagravit odio* Imp. Henrici IV. *ut* Joannes Cuspinianus *in Opere de Imperatoribus Romanis jam pridem recte monuit. Vide etiam* Gerardum Joan Vossium *de Historicis Latinis lib. 2. Cap. 47.*

(4) *Intelligitur* Guibertus de Corrigia, *Archiepiscopus Ravennas, qui contra Papam* Gregorium VII. *in schismate Pontifex Romanus electus,* & Clemens III. *appellatus est.*

(5) *Per* complices Guiberti *intelliguntur hic* Imp. Henricus IV. *ejusque amici & defensores.*

(6) *Expulsus enim est Episcopatu suo ab* Imp. Henrico IV. *ut testatur* Paulus Langius, *Monachus Bozawiensis, in Chronico suo Citizensi, a* Joanne Pistorio *inter veteres rerum Germanicarum Scriptores edito his verbis:* Anno Domini 1078. (Imp.) Henricus IV. Adelberonem Episcopum Civitatis Wirtzburg propter adhæsionem Papæ & Rodolphi novi Regis expulsum, suum ad Monasterium Lambach redire coegit, loco ejus Meginhardum Episcopum constituens.

lia, quæ pro Chriſto libentiſſime paſſus eſt, in bona confeſſione diem clauſit extremum in prædio ſuo, quod (1) *Laubac vocatur.* Idem confirmat anonymus (2) *Monachus Erfordienſis, qui Lamberti Schafnaburgenſis* Chronicon continuavit uſque ad A. 1352. his verbis: *Anno 1090. Adelbero Wurtzburgenſis Epiſcopus obiit. Vixit autem in Epiſcopatu annos 45. menſes 3.* Alterum, quod in eodem Monaſterio *Lambacenſi* præ cæteris notatu dignum vidi, eſt antiqua illa *Inſcriptio Romana*, in qua, ut (3) ſupra obiter indicavi, fit mentio COLONIÆ AVRELIÆ ANTONINIANÆ OVILABIS. Extat ea in oblongo marmore, quod in ipſo Monaſterio parieti cujuſdam porticus inſertum eſt. Exemplum autem ejuſdem Inſcriptionis, quod *Wolfgangus Lazius* Libro 12. Commentariorum de Rep. Rom. Sect. 7. cap. 3. & 9. & Rerum Wiennenſium Lib. 2. Cap. 2. publicavit, utrobique valde corruptum & mendoſum eſt. Priori enim loco, nempe in Commentariis de Rep. Romana, exhibet is eam Inſcriptionem ultima ſui parte mutilam hoc modo:

P. AEL. FLAVI DEC. ET II VIR
ET FLAMIN. (4) AL. (5) CECIENSIVM
ITEM DEC. ET IIVIR. ET PON
TIFIC. (6) COLONIA AVRELIA AN
TONIANA OVIL. TRIB. LEG.
III AVG. ET AELIAE P. FI
LIAE (7) FLAVINAE FILIAE EIVS
DEM ET AEL. (8) MAVS PATRIS
EIVS ET ORGETIAE SISAE (9).

Item capite nono ſectionis ſeptimæ libri duodecimi eorundem Commentariorum de Rep. Romana:

P. ÆL. FLAVI. DEC. (10) E. IIVIR. ET FLAM. (11) ALÆ
CECIENSIVM
ITEM DEC. ET IIVIR. (12)

Poſteriori autem loco, nempe in Commentariis Rerum Wiennenſium, proponit eandem Inſcriptionem integram ſic:

P. AEL.

(1) *Ita hic in prima editione Vrſtiſiana pro* Lambach *perperam legitur* Laubach. *Per prædium enim illud, cujus hic fit mentio, intelligitur ſine dubio* Vicus Lambach, *in quo* Adalbero *fundavit Monaſterium ejuſdem nominis.*

(2) *Extat is in* Joannis Piſtorii *Tomo primo veterum Hiſtoricorum Germaniæ.*

(3) *Vide ſupra pag. 342.*

(4) *In ipſo marmore pro* AL. *recte legitur* AEL.

(5) *In ipſo marmore recte legitur* CETIENSIVM *per* T *in ſecunda ſyllaba. Vide ſupra pag. 54.*

(6) *Legendum eſt* Coloniæ Aureliæ Antonianæ.

(7) *Legendum eſt* Flavianæ.

(8) *Pro* MAVS *legendum eſt* Manſueti.

(9) *Deſunt hic quædam in fine, ut paulo poſt videre eſt.*

(10.) E *pro* ET.

(11) *Legendum eſt* AEL. CETIENSIVM.

(12) *Deſunt hic multa, ut paulo poſt videre eſt.*

P. AEL. FLAVI. DEC. (1) ET IIVIR. ET FLAMIN. (2) AL. CETIENSIVM ITEM DEC. ET IIVIR. ET PONTIF. (3) COLONIA AVRELIA ANTONINIANA OVIL. TRIB. LEG. III. AVG. ET AELIAE P. FILIAE FLAVIANAE FILIAE EIVSDEM ET AEL. (4) MAVSV PATRIS EIVS ET ORGETIAE SISAE MATRIS EX (5) PRECEPTO EIVS (6) ORGAETIAE VRSA PROPINQVA IMPENDIO (7) HEREDIS FIERI INSTITVIT.

Inſeruit etiam *Janus Gruterus* (8) eandem Inſcriptionem magno ſuo Inſcriptionum antiquarum Syntagmati pag. 345. ſed licet ibi expreſſe profiteatur, ſe illam deprompſiſſe *ex Lazii Wiennenſibus*, non mediocriter tamen ab iſta ejus editione recedit, uti ex ſubjuncto exemplo videre eſt.

P. AEL. FLAVI DEC. ET IIVIR
ET FLAMIN. (9) ALCETIENSIVM
ITEM. DEC. ET IIVIR. ET
PONTIF. COLONIAE AVRELIAE
ANTONINIANAE. OVIL
TRIB. LEG. III. AVG. ET
AELIAE. P. FILIAE. FLAVIANAE
FILIAE. EIVSDEM. ET. AEL
MANSVETI. PATRIS. EIVS. ET
ORGETIAE SISAE. MATRIS
EX PRAECEPTO. EIVS. ORGETIA
VRSA. PROPINQVA. IMPENDIO
HEREDIS. FIERI. INSTITVIT
(10) - - - - - - - - - - - - - - - - -

Quandoquidem igitur hactenus indicavi, quonam modo antiqua illa *Monaſterii Lambacenſis Inſcriptio Romana a Wolfgango Lazio* & *Jano Grutero* antehac in lucem edita ſit, ſupereſt, ut paucis detegam, quam varii in ea publicanda commiſſi ſint errores, & quam ego propriis

(1) E *pro* ET.
(2) *Legendum eſt* AEL.
(3) *Legendum eſt in caſu genitivo* Coloniæ Aureliæ Antoninianæ.
(4) *Pro* MAVSV *legendum eſt* MANSVETI.
(5) *Ita ſculptum eſt in marmore nempe* Precepto *pro* Præcepto.
(6) *Legendum eſt* Orgetia.
(7) *Ita ſculptum eſt in marmore, nempe* Heredis *non autem* Hæredis.
(8) *Notandum eſt*, Janum Gruterum *errare, dum ibi ſcribit, Monaſterium* Lambach *ſitum eſſe ad ripam fluminis* Aniſi *ſive* Ens. *Revera enim illud ſitum eſt ad fluvium* Traunum & *amniculum* Lambach; *ut videre eſt in Tabula topographia ejus loci, quæ extat in* Matthæi Meriani *Topographia Provinciarum Auſtriacarum inter pag. 52. & 53.*
(9) *Legendum eſt* AEL. CETIENSIVM.
(10) *Delenda ſunt hæc puncta, quoniam nihil hic deeſt, ut falſo credidit* Gruterus.

priis oculis veram illius scriptu-
ram & lectionem deprehenderim.
Quod jam primum igitur ad *Lazium*
attinet, dubium profecto est, utrum
is in edenda ista Inscriptione majo-
rem negligentiam, levitatem & in-
constantiam, an in eadem interpo-
landa & interpretanda temeritatem
adhibuerit. Nam, ut alia prætermittam, quæ adeo manifeste mendosa sunt, ut refutatione haud indigeant, illud certe præcipuam maximeque necessariam meretur animadversionem, quod falso tradit, fieri in hac Inscriptione mentionem *ALÆ Equitum Romanorum*, quam apud *Cetienses* stationem suam habuisse asserit. In ipso enim marmore, uti ego propriis observavi oculis, non legitur FLAMIN. AL. CETIENSIVM, quemadmodum Lazius corrupte & interpolate edidit, sed FLAMINIS. AEL. CETIENSIVM, hoc est secundum meam opinionem, FLAMINIS AELIANI CETIENSIVM, vel FLAMINIS AELIANORVM CETIENSIVM. Refert quippe *Spartianus* in Vita *Imp. P. Ælii Hadriani*, filium ipsius adoptivum & successorem *Imp. T. Aurelium Antoninum Pium* in defuncti honorem & memoriam non solum *Templum ei pro sepulchro extruxisse*, verum etiam *instituisse quinquennale Certamen, & FLAMINES, & SODALES, & multa alia, quæ ad honorem quasi Numinis pertinerent.* Hujusmodi autem *Flamines* & *Sodales* cognominati sunt AELIANI & HADRIANALES, quemadmodum illi, quibus ipse *Imp.* A *Antoninus Pius* post mortem honoratus est, ANTONINIANI dicti sunt, teste *Julio Capitolino* in ejus Vita his verbis: *Meruit & FLAMINEM, & Circenses, & Templum, & SODALES ANTONINIANOS.* Abbreviatum igitur nomen AEL. vel est referendum ad præcedentem genitivum FLAMINIS, ita ut significetur, *P. Ælium Flavum* fuisse *Decurionem, & Duumvirum, & FLAMINEM AELIANVM sive HADRIANALEM Coloniæ Ælicæ Cetiensis*, vel certe referendum est illud ad sequentem genitivum CETIENSIVM, ita ut significetur, eundem *P. Ælium Flavum* fuisse *FLAMINEM COLLEGII SODALIVM AELIANORVM CETIENSIVM.* Quemadmodum ergo reprehensione dignum est, quod (1) *Lazius* verba hæc AEL. CETIENSIVM nimis temeraria interpolatione & interpretatione mutavit in ALAE CETIENSVM, sic quoque improbandum est, quod (2) *Janus Gruterus* ex duabus vocibus AEL. CETIENSIVM unam fecit vocem corruptam ALCETIENSIVM quasi ALCETIENSES incolæ fuerint alicujus Regionis vel Vrbis dictæ ALCETIA. In quem eundem errorem etiam incidit *Abrahamus Ortelius*, uti apparet ex *Thesauro* ipsius *Geographico*, quippe ubi nomina propria locorum & populorum ab A incipientia recensens, etiam ALCETIENSES inter illa collocat, eorumque mentionem fieri scribit *in veteri lapide Lam-*

(1) *Vide supra pag. 348.*

(2) *Vide supra pag. 349.*

Lambachi in Auſtria. Sequitur nunc A integræ iſtius Inſcriptionis vera ſcriptura & lectio, & quidem totidem comprehenſa verſibus ſive lineis, quot in ipſo ſunt marmore.

P. AEL. FLAVI. DEC. ET. IIVIR. ET FLAMINIS. AEL. (1) CETIENSIVM. ITEM. DEC. (2) E. IIVIR. E. PONTIFICIS. COLONIAE. AVRELIAE. ANTONINIANAE. OVIL. TRIB. LEG. III. AVG. E. AELIAE. P. FILIAE. FLAVIANAE. FILIAE. EIVS DEM. E. AEL. (3) MANSVETI. PATRIS. EIVS. E. ORGETIAE. SISAE. MATRIS. EX. (4) PRECEPTO. EIVS. ORGETIA. VRSA. PROPINQVA. IMPENDIO. (5) HEREDIS. FIERI. INSTITVIT.

Hucuſque vera ſcriptura & lectio integræ iſtius *antiquæ inſcriptionis Monaſterii Lambacenſis:* cujus illuſtrandæ cauſa præter ea, quæ jam ſupra annotata ſunt, duo adhuc reſtant, quæ minime prætermittenda eſſe cenſeo. Horum *primum* eſt emendatio & vera explicatio *alterius* cujuſdam antiquæ *inſcriptionis*, qua *Wolfgangus Lazius* ſuum de ALA CETIENSI commentum, quod ſupra jam a me refutatum eſt, falſo ſtabilire annititur. Ipſa illa inſcriptio, quam *Lazius* refert *in Auſtriæ Inferioris Oppido Tulna parieti Cœnobii Dominicanorum inſertam eſſe*, exhibetur ab eodem Libri *ſexti* Commentariorum de Rep. Romana Capite *ſecundo* hoc modo:

P. AELIO GERMANO VETER. EX DEC. CASSIAE VALENTINAE EIVS ET PVBLIIS AELIIS SABINIANO ET GERMANO DEC. G. I. D. COLONIAE AQVILEIENSI A MILITIIS ET P. VALENTINAE SORORI EQ. M. P. PAETVS RVFFINVS DEC. ET IIVIR. (6) L. D. ALCETIENS. PERFICI C.

Et ſic quidem *Lazius* inſcriptionem illam exhibet Libro ſexto Commentariorum de Rep. Romana: ubi inprimis notanda ſunt ultima illa ad rem præſentem maxime pertinentia verba P. PAETVS RVFFINVS DEC. ET IIVIR. L. D. ALCETIENS. PERFICI C. Libro enim *duodecimo* eorundem Commentariorum, & quidem Sectionis *ſeptimæ* Capite *nono*, eandem illam repetens Inſcriptionem eadem illa poſtrema verba non minus temere, quam leviter & abſurde iñutata proponit hoc modo:

P. ÆL.

(1) *Ita hic in ipſo marmore recte ſculptum legitur* CETIENSIVM *per* E *ſimplex &* T, *non autem* CAECIENSIVM *per* Æ *&* C *in prima & ſecunda ſyllaba. Vide ſupra pag. 54. & 348.*

(2) E *ponitur hic ſemper abbreviate pro* ET.

(3) *Literæ duæ* E *&* T *duarum vocum* MANSVETI *&* ORGETIAE *ſunt in ipſo marmore conjunctim ſculptæ hoc modo* Ǝ.

(4) *Ita hic mendoſe ſculptum eſt in marmore pro* PRAECEPTO.

(5) *Ita hic in ipſo marmore ſculptum eſt, nempe* HEREDIS *per ſimplex* E, *non autem* HAEREDIS *per* AE: *quam poſteriorem ſcripturam etiam* Aldus Manutius *&* Claudius Dauſquius *in Orthographia ſua improbant.*

(6) *Legendum eſt* IIVIR. I. D. AEL. CETIENS.

P. AEL. GERMANO
VETER. EX DEC. ET
CASSIÆ VALENTINÆ
EIVS ET PVBLIIS ÆLIIS
SABINIANO ET GERMANO
DEC. C. IV. COLONIÆ
AQVIL. A MILITIIS
ET P. VALENTINÆ SORORI
EQ. M. R. PA. ETVS
RVFFINVS DEC. ET IIVIR
(1) LEG. X. ALÆ CECIENS
PERFICI CVRAVIT.

Inſeruit etiam *Janus Gruterus* eandem Inſcriptionem magno ſuo Inſcriptionum antiquarum Syntagmati p. 345. ſed, licet ibi expreſſe profiteatur, ſe illam deprompſiſſe ex *Lazii* Operibus, non mediocriter tamen ab iſta ejus editione recedit, uti ex ſubjuncto exemplo videre eſt.

P. ÆL. GERMANO VETER
EX DEC. ET
CASSIAE VALENTINAE
EIVS. ET
PVB. AELIS SABINIANO
ET GERMANO. DECC. IV.
COLONIAE AQVILEIENSI
A. MILITIIS. ET
P. VALENTINAE SORORI
EQ. M. P. PAETVS RVFINIVS.
DEC. TR. ET IIVIR. (2) LEG. X. EQ.
ALCETIENS. PER
FICI
CVRAVIT.

Verumenimvero quantum *Lazius* & *Gruterus* a vero ultimorum hujus Inſcriptionis verborum ſenſu aberrent, manifeſte liquet ex vera eorundem lectione, quæ eſt hæc; DEC. ET IIVIR I. D. AEL. CETIENS. PERFICI CVRAVIT; hoc eſt, DECVRIO ET DVVMVIR IVRI DICENDO COLONIAE AELIAE CETIENSIS PERFICI CVRAVIT. Alia ejuſdem generis exempla, ubi *Duumvirorum* & *Quatuorvirorum juri dicendo*, vel, ut alias quoque loquebantur, *juredicundo*, itidem fit mentio, extant in *Jani Gruteri* ſupra citato Inſcriptionum antiquarum Syntagmate

(1) *Legendum eſt* IIVIR I. D. AEL. CETIENS.

(2) *Legendum eſt* IIVIR I. D. AEL. CETIENS.

tagmate. Cæterum minime dubitandum eſt, quin *Colonia Ælia Cetienſis*, cujus in jam explicata inſcriptione fit mentio, *Ælia* appellata ſit in honorem & memoriam *Imp. P. Ælii Hadriani*, cujus juſſu deducta eſt. Eadem enim ratione & aliæ *Coloniæ* ab illo deductæ, & *Vrbes* ab eodem vel *conditæ*, vel *reſtauratæ*, *Æliæ* dictæ ſunt; ut exempli gratia *Colonia Ælia Zamenſis* in Africa, *Ælia Auguſta Mercurialis Thœnitana* itidem in Africa, *Ælia Capitolina* ſive *Hieroſolyma* in Aſia, *Ælia Thracenſis* ſive *Hadrianopolis* in Europa, & aliæ complures. Vnde conſequenter & hoc apparet, quam potiſſimum ob cauſam in ſupra memorata *Colonia Ælia Cetienſi* ab *Imp. Antonino Fio* in honorem defuncti Patris ſui adoptivi *Imp. P. Ælii Hadriani Flamen Ælianus* ſive *Hadrianalis* & *Sodales Æliani* ſive *Hadrianales* inſtituti fuerint; nempe ut ejus memoria in illis Vrbibus præcipue coleretur, quæ ab ipſo eſſent denominatæ *Æliæ*. *Cetia* porro ſive *Cetienſis* eadem *Colonia* cognominata eſt, quia ſita fuit ad *Cetium* montem, (1) ubi is a *Danubio* ſurgens *Noricum Ripenſe* & *Pannoniam Superiorem* incipit diſterminare, & vernaculo ſermone appellatur *der Kalenberg*. In hac enim altiſſima *Cetii* montis extremitate ſeptentrionali, in qua etiamnunc viſuntur ingentia rudera antiquæ iſtius *Arcis*, quam veteres ex Familia *Comitum Babenbergenſium* A oriundi *Marchiones Auſtriæ* inhabitarunt, priuſquam iis *Vindobonæ* ſive *Viennæ* commorari placuit, exſtruxerant olim *Romani*, cum *Norico Ripenſi* & *Pannoniæ Superiori* cœpiſſent imperitare, *munimentum* aliquod *præſidiarium* ſeu *caſtellum ſpeculatorium*, ex quo quid in adverſa *Danubii* ripa *Germani* molirentur longe lateque poſſent prævidere. B Quandoquidem igitur ſub eodem illo ſummo montis vertice anguſtus juxta *Danubium* eſt tranſitus ex *Norico Ripenſi* in *Superiorem Pannoniam*, placuit *Imp. Hadriano* muniendæ iſtius viæ cauſa in infimo & ſatis molli ejuſdem montis clivo, ubi nunc pagus *Kalen* ſitus eſt, novam collocare *Civium Romanorum Coloniam*, nempe illam ipſam, quæ in ſuperiori antiqua Inſcriptione vocatur C *Ælia Cetienſis*. Eadem quoque intelligenda eſt in antiqua *Tabula Itineraria Peutingeriana*, (2) ubi in via militari juxta *Danubium* ex *Pannonia Superiori* in *Noricum Ripenſe* poſt *ſex ſupra Vindobonam milliaria* legitur *Cetium*, ut jam pridem recte obſervavit doctiſſimus *Philippus Cluverius*. Quare corrigendus eſt D *Wolfgangus Lazius*, qui Commentariorum de Rep. Rom. Libro 12. Sect. 7. Cap. 9. affirmat, *Cetiam* extitiſſe in eo loco, ubi eſt hodie pagus *Zeislmaur*, hoc eſt, ut ille interpretatur, *Cetiæ murus*; cum tamen pagus *Zeislmaur* non ſit ſitus ad ipſum montem *Cetium*, ſed ſatis longe ultra eundem in *Norico Ripenſi*

(1) *Vide ſupra pag. 54.* Matthæi Meriani *Topographiam Provinciarum Auſtriacarum inter p. 28. & 29. ubi extat peculiaris Tabula topographica curſus* Danubii *inter duos montes* Kalenberg *cis Danubium &* Biſenberg *trans Danubium.*

(2) *Vide ſupra pag. 73.*

si supra (1) *Comagena Castra* sive vicum *Langenleber*. Neque vero defendere se potest *Lazius* autoritate *Itinerarii Antonini*, ubi *Cetius* mons ponitur inter *Comagena* & *Arlapen*. Quam enormiter enim exemplaria istius *Itinerarii* ibi corrupta sint, & quo ordine nomina eorum locorum secundum veritatem antiquæ & novæ Geographiæ sint transponenda, videndum est (2) supra Capite hujus Libri *secundo*, ubi de *Vindobonæ* situ diserui. Illud quoque obiter adjiciendum est, meram esse fabulam, quod *Lazius* loco supra citato tradit, initium *Cetii* montis ad *Danubium* in continio *Norici Ripensis* & *Pannoniæ Superioris* vernaculo sermone vocari *der* (3) *Kalenberg* a *Galatis veteribus ejus incolis*, quasi *Galatenberg*. Revera enim illud montis principium ita appellatur a pago *Kalen*, qui etiamnunc situs est in imo ejus clivo, ubi, ut paulo ante indicavi, sita olim fuit *Colonia Ælia Cetiensis*: nec absurda est conjectura, ex voce *Colonia* ab imperito vulgo, crassum O per A exprimente, paulatim factum esse vocabulum *Kalen*, quemadmodum *Colonia Agrippina* ad *Rhenum* corrupte nunc appellatur *Cöln*. *Secundum*, quod *antiquæ Inscriptionis Monasterii Lambacensis* illustrandæ

A causa silentio haud prætermittendum restat, est hoc, quod *Wolfgangus Lazius* supra citato Commentariorum de Rep. Romana libro *duodecimo* asserit, *Monasterium Lambacense* ibi situm esse, ubi olim sita fuit Romanorum veterum *Ovilabis*, quoniam in antiqua illa Inscriptione, parieti ejusdem Monasterii inserta,

B COLONIÆ AVRELIÆ ANTONINIANÆ OVILABIS

fit mentio. Nam præterquam quod ex hoc solo, (4) quia Inscriptio illa ibi nunc extat, non potest certo colligi fuisse ibi olim sitam *Coloniam Ovilabim*, manifeste etiam reclamat antiqua *Tabula Itineraria Peutingeriana*, (5) utpote in qua ex tractu itineris & intervallis milliarium nihil aliud colligi potest, quam eo loco,

C ubi nunc est *Monasterium Lambacense*, situm olim fuisse Romanorum veterum TERGOLAPE, nempe inter Coloniam OVILABIM, quæ ibi quidem OVILIA, vulgo autem nunc dicitur *Wels*, & LACIACVM, hoc est, *Vrbem*, & *Lacum Gemundensem* sive *Gmundensem*. Hæc igitur jam memorata ratione in *Monasterio Lambacensi* die

D XVII. Septembris contemplatus, discessi inde circa horam quartam pomeridianam, & sinistrorsum deflectens ad (6) supra memoratum *Trauni*

(1) *Vide supra pag. 73. 74. 75.*

(2) *Vide supra pag. 75.*

(3) *Aliam sed æque improbandam ejusdem nominis* etymologiam *vide supra pag. 53. ubi refutavi errorem* Stephani Vinandi Pighii, *qui montem hunc non* Cetium, *sed* Cæsium *appellandum esse existimat: nempe quasi* Cæsius *idem sit atque* Calvus, *germanice* Kal. *per a crassum.*

(4) *Multæ enim Inscriptiones antiquæ ex* primo *suo loco in* alium *translatæ sunt; cujus rei varia extant exempla apud ipsum* Lazium, *quorum unum vide supra pag. 299. In multis etiam Inscriptionibus* aliorum *locorum fit mentio, quam ubi collocatæ sunt, licet ex primo suo loco non sint alio translatæ. Sic supra pag. 303. in Inscriptione, quæ extat ad XIIII. ab Vrbe Roma lapidem fit mentio* COLONIÆ AVGVSTÆ LAVRIACENSIS.

(5) *Vide* Philippi Cluverii *Chorographiam Vindeliciæ & Norici cap. 5. p. 741. & 742.*

(6) *Vide supra pag. 341.*

ni amnis (1) *Catarackten*, vulgo *der Traunfall* dictum, perveni eo admodum tarde & multa jam nocte, quoniam auriga per tortuosas intermediæ sylvæ ambages a recta via aliquantum aberaverat. Mane igitur sequentis diei XVIII. Septembris considéravi non sine singulari admiratione simul & oblectamento monstrosam illam *Trauni* fluminis per ingentes petras cum horrisono fragore præcipitationem, & inter inaccessos scopulos spumiferosque fluctus observavi non paucas cavernas & abditos recessus, in quibus annosi & miræ magnitudinis pisces, tanquam in nativis quibusdam vivariis, tuto & secure delitescunt, & extra capturæ periculum ubertim & copiose saginantur. Quamvis igitur fluvius eo loco per se haud sit navigabilis, mollivit tamen ingenii humani dexteritas naturalem præcipitii istius asperitatem, eamque (2) *naviculis* illis *oblongis*, quibus magna *salis* copia ex lacu *Gmundano* in *Danubium* devehitur, beneficio artificiosi (3) *emissarii* reddidit perviam. Quo viso, petii Oppidum (4) *Veclabrigam*, vulgo *Föcklabruck* dictum, ibique pransus, perrexi porro ad *Arcem Camerinam*, in Lacu Viperino, *germanice Atterſee* appellato sitam, eoque veni sub principium noctis, cum CÆSAR jam reverteretur ex piscatione, qua se post meridiem ibi oblectaverat. Post A cœnam ergo in Sacrum Cubiculum clementissime admissus, tam de *Lambacensi Monasterio*, quam de *Cataracte Trauni*, quid in utriusque loci perlustratione præcipue observassem, quam brevissime retuli. Postero die XIX. Septembris prandit CÆSAR in Vico *Franckenmarckt*; post meridiem autem inde profectus, transiit ex *Austria Superiori* in *Bavariam*, & porro in *Archiepiscopatum Saltzburgensem*; in cujus limine a Celsissimo Reverendissimoque S. Roman. Imp. Principe & Ecclesiæ Metropolitanæ Saltzburgensis Archiepiscopo, nec non S. Sedis Apostolicæ in Germania Legato, (5) *Guidobaldo*, *ex Comitibus de Thun*, splendido apparatu sub dio exceptus, atque inde deductus est ad *Vicum Stratæ Sylvæ*, vulgo *Strasswalden* dictum, ubi non solum proximam noctem, sed præter spem integrum quoque sequentem diem XX. Septembris subsistit; nempe propter *missionem sanguinis*, quæ conservandæ sanitatis causa necessaria visa fuerat. Attulit certe inopinatus hic casus, ut toti Comitatui aulico, ita etiam mihi non mediocrem anxietatem: qua nec ante levatus sum, quam me post meridiem ad lectum clementissime accersitum *Ipse* CÆSAR bono jussit esse animo, simul & melius jam se valere, & postridie iter continuatum iri hilari vultu ac voce indicavit. Posteaquam igitur

(1) *Utrumque recte dicitur* Cataracta *fœminino genere &* Cataractes *masculino. Vide* Plin. *Hist. Nat. lib. 5. cap. 9. ubi de Nilo agitur.*

(2) *Vide* Georg. Braun. *Part. 5. Theatri Urbium, ubi agitur de Gmunda*; *item* Matthæi Meriani *Topographiam Provinciar. Austriacar. in descriptione ejusdem Urbis.*

(3) Emissarium *germanice dicitur* eine Sleuse. *Sic apud* Suetonium *in Vita Imp. Claudii legitur* Emissarium Fucini lacus.

(4) *Vide supra pag. 348.*

(5) *Electus is est* Archiepiscopus Saltzburgensis *Anno 1654. d. 3. Februarii; creatus est S. R. E.* Cardinalis *a Papa* Alexandro VII. *A. 1667. d. 16. Martii*; obiit *Saltzburgi A. 1668. d. 1. Junii.*

tur bono huic augurio optatus succeſſus ita reſpondit, ut ſequenti die XXI. Septembris per redintegratam S. CÆSAREÆ MAIESTATIS valetudinem *Saltzburgum* poſſet pergi, nec tamen continuatio itineris prorſus ab omni parte eſſet beata, effecit perpetuitas fœdæ & triſtis pluviæ, quæ magnificentiſſimum *Introitus Saltzburgenſis* apparatum infeliciter ac miſere deturpavit. *Tria* tantum eo adhuc ſupererant *milliaria Germanica*, ſed ſaxoſa & difficili per ſaltus & crepidines montium via, longinquitate temporis, tempeſtatumque vi, & incuria mature reficiendi omnino fere collapſa. Certo enim conſtat, inter *Vicum Stratæ Sylvæ*, ſive *Straswalden*, & *Coloniam Hadrianam Juvaviam*, quæ nunc a vulgo latine loquentium *Salisburgum*, germanice autem *Saltzburg* appellatur, ſub Imperatoribus *L. Septimio Severo* filioque ipſius *Antonino Caracalla* viam a *militibus Romanis*, in *Norico mediterraneo* tunc degentibus, fuiſſe ſtratam & munitam per *undecim millia paſſuum*, & ad ſempiternam tanti laboris memoriam proxime ſuperiori adhuc ſeculo, ut teſtatur *Stephanus Vinandus Pighius* in (1) ſupra citato ſuo *Hercule Prodicio*, (2) in *medio* illo *itinere* extitiſſe *columnam rotundam*, octo pedum longitudine, ad viam erectam, cum hac, ut ipſe *Pighius* eam deſcripſit, (3) Inſcriptione:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG.
ARAB. ADIAB. PARTHICO. MAX.
BRITAN. MAX. PONTIF. MAX. TRIB.
POTES. III. IMP. VII. COS. II. (4) P. P. PROCOS.
ET. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINO
PIO. INVICTO. AVG. PARTHICO. MAX.
BRITANNICO. MAX. GERMANICO
MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POTES. XVI.
IMP. III. COS. IIII. (5) P. P. PROCOS. FORTISSIMO AC FELICISSIMO. PRINCIPI
DOMINO INDVLGENTISSIMO.
M. P. XI.

Per hujus igitur *antiquæ Viæ militaris* ruinoſa veſtigia perventum eſt die XXI. Septembris in Urbem *Saltzburgenſem*, & quidem ita, ut infimæ mediæque conditionis comitatus aulicus ſatis mature nec multo poſt pran-

(1) *Vide ſupra pag. 297. 299.*
(2) *Pag. 213.*
(3) *Eadem antiqua Inſcriptio extat quoque in* Jani Gruteri *magno Syntagmate antiquarum Inſcriptionum pag. 157. ſed ibi pro M. P. XI. hoc eſt*, millia paſſuum undecim *mendoſe legitur M. P. LI. hoc eſt*, millia paſſuum quinquaginta unum.
(4) Secundus *hic Imp. L. Septimii Severi Conſulatus incidit in annum Æ. C. 194.*
(5) Quartus *hic Imp. Antonini Caracallæ Conſulatus incidit in annum Æ. C. 213.*

prandium ibi adeſſet; CÆSAR autem *Ipſe* non niſi ſub principium noctis ad faces triumphales, & inter feſtiva lumina, interque tympanorum & tubarum & campanarum ſonitus, (1) tormentorumque bellicorum fulmina & tonitrua, ſolenniſſimum, & quantum per vehementiam pluviæ licebat, ſplendidiſſimum & vere Imperatorium celebraret introitum. Deſcribenda jam hic eſſet ſingulatim tota magnificentiſſimæ iſtius ſolennitatis pompa: depingendus eſſet verbis elegantiſſimus ingenioſiſſimusque ornatus tam *Pontis*, quam *Arcuum triumphalium*, per quos præparatus erat tranſitus; prædicanda eſſet ſumma benigniſſimi hoſpitii liberalitas, quam per integros *ſex* commorationis in Urbe dies tota *Cæſarea* (2) *Aula* abunde experta eſt; recenſenda denique & prolixis laudibus extollenda eſſet multiplex varietas jucundiſſimarum delectationum, quæ interea temporis cum in Urbe, tum extra Urbem publice & privatim exhibitæ ſunt: verumenimvero plenior hæc & ſpecialior omnium illarum rerum enarratio juſto potius *Annalium Auſtriacorum* Operi reſervanda, quam his *de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Commentariis* inſerenda eſt, quippe ubi *Itineris Oenipontani*, & conſequenter *Introitus* quoque & *Commorationis Saltzburgenſis* non fit mentio, niſi tantum obiter, nec alio reſpectu, quam quatenus ea cum reliquæ *Hiſtoriæ Literariæ*, tum vero inprimis *Hiſtoriæ Incrementi* jam memoratæ *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ* poteſt inſervire. Cum itaque CÆSAR, ut jam memoratum eſt, die XXI. Septembris ſub principium noctis *Saltzburgum* intraſſet, & ſub pretioſa umbella a Senatoribus Urbis portata equitans, recta deductus eſſet ad *Templum Metropolitanum S. Ruperti*, deſcendit IS ibi, & ab univerſo Ordine Eccleſiaſtico honorificentiſſime exceptus, atque ſub alia quadam pretioſiori umbella, a Camerariis Saltzburgenſibus geſtata, ad ſummum Altare perductus, debitas pro felici adventu DEO OPT. MAX. egit grates, finitoque ſolenni hymno *Te* DEVM *laudamus*, divertit in *Palatium Archiepiſcopale*, jam memorato Templo contiguum, quod, licet per ſe ſplendidiſſimum, propter Auguſtiſſimam tamen *tanti Hoſpitis* præſentiam tanquam multiplicatis novi cujuſdam Solis radiis ſolito magnificentius collucere viſum eſt. Sequenti die XXII. Septembris prima mihi cura fuit, ut inveſtigarem, an in *Templo S. Ruperti* adhuc ſupereſſet antiqua illa Inſcriptio Romana, quam *Stephanus Vinandus Pighius*, ſuperiori ſeculo a ſe viſam & deſcriptam, in *Hercule Prodicio* (3) exhibet hoc modo:

IMP.

(1) *Tormenta bellica majora, quæ tunc diſploſa ſunt, fuerunt ſecundum relationem Saltzburgenſem numero* mille & quinquaginta.

(2) *Secundum* Franciſci Dückheri *relationem in Chronico Saltzburgenſi A. 1666. Saltzburgi germanice edito in 4to oblongo, conſtitit tota* Aula Cæſarea 750. Perſonis & 1017. equis; Menſæ *autem ſingulis diebus inſtructæ ſunt* quinquaginta novem.

(3) *Pag. 219. Ejuſdem Inſcriptionis aliud exemplum mendoſum & mutilum extat in* Petri Apianis *Syntagmate antiquarum Inſcriptionum, Ingolſtadii Anno 1534. in folio edito pag. 408. Vide etiam* Jani Gruteri *Opus ejuſdem argumenti pag. 265.*

IMP. CAES.
L. SEPTIMI. SEVERI
PII. PERTINACIS. AVG
ARAB. ADIAB. PARTHICI
MAX. ET IMP. CAES. M. AVREL.
ANTONINI. AVG. PARTHICI
MAXIMI. COL. HADR.
IVVAV. D. D.

Sed quamvis ipse eam invenire non potuerim, certissimum tamen est, eam ibi olim in antiquo quodam saxo extitisse, & *Vrbem Saltzburgensem* in eadem appellatam fuisse COLONIAM HADRIANAM IVVAVIAM; nempe HADRIANAM quidem in honorem *Imp. P. Ælii Hadriani*, cujus auspicio Colonia eo deducta est, IVVAVIAM autem a fluvio *Juvavo*, qui propter adjacentes *Salinas* vernaculo sermone nunc *die Saltza*, seu potius *die* (1) *Saltzach* dicitur. Hinc & *incolæ* hujus Coloniæ vocati sunt IVVAVIENSES, ut ex sequenti antiqua Inscriptione, (2) haud procul *Saltzburgo* ad *Juvavi* sive *Saltzæ* fluminis ripam in Oppido *Burghausen* reperta, videre est:

L. BELLICO. L. F.
QVARTIONI
DECVRIONI IVVAVIENSIVM
IIVIR. (3) IVRIS. DICVNDI
VIX. ANN. LVII.
SAPLIAE BELLATVMARAE
CONIVGI. VIX. AN. LXII.
BELLICIVS. SECTIO. ET.
BELLICIVS ACHILLES
CVM. CONIVGIBVS. EX
TESTAMENTO FACIVNDVM
CVRAVERVNT.

Quamvis autem hæc *Colonia Juvavienſis*, uti ex priori Inscriptione manifeste liquet, ab *Imp. Hadriano* deducta sit, ideoque *Vrbs Saltzburgensis* jure ac merito inter *Conditores* suos illum possit numerare, prima tamen ejusdem Vrbis origo aliquanto est antiquior, & ad tempora *Imp. Augusti* pertinet. Cum enim jam memorati *Imp. Augusti* auspiciis & privigni ipsius *Tiberii* ductu Inalpinæ Gentes *Salassii* ac *Rhæti*, & mox

(1) *Ita hoc nomen impressum legitur in Chronico Saltzburgensi, a* Francisco Dückhero *nuper germanice edito. Vide etiam supra p. 113. ubi agitur de etymologia nominis* Werdach.

(2) *Extat ea in Pighii Hercule Prodicio p. 218. & in Gruteri Syntagmate Inscriptionum antiquarum pag. 375.*

(3) *De* Duumviris Juris dicundi *sive* Juridicundo *vide etiam supra pag. 356.*

mox quoque trans Alpes *Vindelici* A *Norici* ac *Pannones* moleſtari bello & ſubjugari cœpiſſent, quam maxime neceſſarium Romanis viſum eſt, locum illum ad Alpium fauces ulteriores ſitu opportunum ac tutum *Caſtro* præſidioque firmo munire, ne occludi ab hoſtibus poſſent, & ut Legionibus via ſemper per Alpes pateret in Provincias ulteriores. Hoc igitur *Caſtrum* a præterfluente B amne *Juvavo*, qui, ut paulo ante indicavi, vulgo nunc *Saltza* dicitur, & ex *Alpibus Teriolanis* per *Noricum mediterraneum* in *Ænum* delabitur, appellatum fuit *Juvavum*, eodemque extitit loco, ubi nunc munitiſſima Arx *Hohen-Saltzburg* collocata cernitur. Aſſueſcentibus deinde *Noricis* Imperio Romano, & pace frui incipientibus, paulatim quoque habitari cœpit tractus jam memorato *Caſtro* ſubjacens, donec is tandem ab *Imp. Hadriano*, *Colonia Civium Romanorum* eo deducta, redactus eſt in formam juſtæ *Vrbis*, quam deinceps auctiori & honoratiori nomine COLONIAM HADRIANAM IVVAVIAM nuncupari placuit. Meminit quidem hujus loci etiam *Antoninus* aliquoties in ſuo *Itinerario*, ſed ibi pro *Juvavum* ubivis minus recte legitur *Jovavum*. Multo etiam mendoſius in antiqua *Tabula Itineraria Peutingeriana* pro *Juvavo* in caſu ablativo legitur *Ivavo* & *Iauro*. Similiter quoque in editionibus impreſſis *Teſtamenti Imp. Caroli Magni*, quod *Eginhartus* Hiſtoriæ vitæ ipſius ſubjunxit, corrupte legitur *Vivanum* pro eo, quod in (1) ſupra memorato vetuſtiſſimo Codice MSto *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* clariſſime veriſſimeque exaratum eſt *Juvavum*, *quæ & Saltzburg.* Itidem & in *Sigeberti Gemblacenſis* Chronico pro *Juvavum* perperam legitur *Juvanum*. Idem quoque locus ſine dubio intelligendus eſt in *Notitia Vtriuſque Imperii Romani*, ubi in deſcriptione diſpoſitionis Pannoniæ primæ & Norici Ripenſis Præfectus Legionis primæ Noricorum Liburnariorum Cohortis quintæ Partis ſuperioris traditur ſedem ſuam habuiſſe C *ad Juvenſe*, hoc eſt, *in Caſtro Juvavenſi* ſeu *Juvavienſi*. Haud injuria denique Viri docti mirantur, adeo nobilis celebriſque loci nullam extare mentionem apud *Claudium Ptolemæum* (2) Geographiæ libro ſecundo, cap. 14. ubi agitur de *Norico*, ideoque *Petrus Bertius* (3) & *Philippus Cluverius* (4) recte exiſtimant *Juvavum* idem eſſe atque *Gavanodurum*, quod a jam memorato D *Ptolemæo* collocatur circa eundem tractum, ubi nunc *Saltzburgum* ſitum eſt. Mihi enim minime dubium videtur, quin, uti alia (5) complura locorum nomina propria in *Pto-*

(1) *Vide Analec. T. I. pag. 467.*

(2) *Vixit is temporibus* Imp. M. Antonini Philoſophi, *ut teſtatur* Suidas.

(3) *In editione græco-latina* Geographiæ Ptolemæi, *impreſſa Lugduni Batavorum typ. Iſaac. Elezevirii A. 1618. in folio.*

(4) *In Chorographia* Vindeliciæ & Norici, *cap. 5.*

(5) *Inſigne ejus rei exemplum vide ſupra p. 80. ubi monui apud eundem* Ptolemæum *pro* Juliobona *legendum eſſe* Vindobona.

Ptolemæi Geographia nunc valde corrupta extant, ita quoque nomen *Gavanodurum* simili laboret mendo, & pro Γαυανόδυρον legendum sit (1) Ἰουαυόδυρον sive *Juvavodurum*; quod nomen eodem modo formatum est, uti (2) Βραγόδυρον *Bragodurum*, Ἐβόδυρον *Ebodurum*, Ἐκτόδυρον *Ectodurum*, Βοϊόδυρον *Bojodurum*, & plura ejus generis alia Vrbium nomina, quæ ab eodem *Ptolemæo* recensentur. Et hæc quidem in præsens sufficiant de antiqua illa *Inscriptione Romana*, cujus videndæ causa die XXII. Septembris *Saltzburgi Templum Archiepiscopale S. Ruperti* non mediocri quidem diligentia, attamen frustra perlustravi. Post prandium autem ejusdem diei contuli me ad *Templum S. Sebastiani*, ibique, ut jam pridem desideraveram, vidi *Epitaphium* & *Insignia* celeberrimi Medici ac Chymici (3) *Theophrasti Paracelsi*, lapidi cuidam, ad exteriorem jam memorati Templi parietem erecto, insculpta hoc modo:

CONDITVR HIC
PHILIPPVS THEOPHRASTVS,
INSIGNIS MEDICINÆ DOCTOR,
QVI
DIRA ILLA VVLNERA
LEPRAM, PODAGRAM, HYDROPISIM,
ALIAQ. INSANABILIA CORPORIS
CONTAGIA
MIRIFICA ARTE SVSTVLIT:
AC
BONA SVA IN PAVPERES DISTRIBVENDA COLLOCANDAQ.
(4) HONORAVIT:
ANNO M. D. XLI. DIE XXIIII. SEPTEMBR.
VITAM CVM MORTE
MVTAVIT.

Spe-

(1) *Vide etiam Anal. T. I. p. 11. Vbi tamen notandum est, pro* Ἰουαυόδυρον *mendose impressum esse* Ἰουαυόδυρον. *Græci enim in exprimenda latina consonante* V, *non utuntur simplici υ, sed diphthongo ου sive υ.*

(2) *Vide lib. 2. Geographiæ Ptolemæi cap. 13. & 14. ubi agitur de* Rhætia & Vindelicia.

(3) *Vita ejus prolixe descripta extat apud* Melchiorem Adamum *inter Vitas Illustrium Medicorum Germanorum, & Tomo secundo Iconographiæ Illustrium Virorum, a* Jano Jacobo Boissardo, *editæ, pag. 291.*

(4) *Pro* HONORAVIT *legendum hic videtur* EROGAVIT *vel* ORDINAVIT.



Spectavi quoque ibidem in medio ſpatioſi cujuſdam *Cœmeterii*, elegantibus *porticibus* undique circumcincti, ſplendidiſſimum pretioſiſſimumque *Sacellum*, opere *teſſellato*, vel, ut alias vocatur, (1) *muſivo* ſive *muſaico*, mirifice adornatum, & *S. Archangelo Gabrieli* ſpecialiter dicatum, quod Archiepiſcopus Saltzburgenſis *Wolfgangus Theodoricus de Raittenaw*, qui Anno C. 1587. electus eſt, ab anno 1597. uſque ad annum 1600. ipſe ſibi vivus pro ſepulchro extruxit, quemadmodum videre eſt ex ſequentibus *duabus Inſcriptionibus*, quarum prima, quæ *Fundationis leges* continet, hæc eſt:

D. O. M.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. Wolfgangus Theodoricus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, hanc ſub Divo Tutelari Gabriele Archangelo ſacram Ædem, circumſepto porticibus Cœmeterio, in augmentum pietatis a fundamentis abs ſe extructam, & omnimoda arte exornatam, hiſce legibas ad notitiam piæ poſteritatis conſtituit. Bini Sacerdotes per vices ſingulis diebus Sacrum dicunto: pro fidelibus vivis & defunctis exoranto: Fundatoris inprimis, & ſanguine junctorum memoriam devote agunto: ſalarium uterque menſtruum decem, ædituus quinque florenorum accipito: Noſtræ Oeconomiæ Præfectus redituum adminiſtrationem habeto: accepti expenſique rationes ad hoc ſingulariter Deputatis quotannis præſtato: Jura præmiſſorum cum collatione Succeſſores Principes Archiepiſcopos ſequuntor. Quiſquis hanc mentem violare attentaverit, is DEVM *O. M. Judicem vindicem expectato.*

Alte-

(1) *De etymologia, ſignificatione & uſu harum vocum* Muſivus & Muſaicus *vide* Ger. Joan. Voſſ. *de Vitiis ſermonis cap. 11.* & Matth. Martinii *Lexicon Philologicon, ubi merito eos reprehendunt, qui* opus muſaicum *corrupte vocant* moſaicum.

Altera autem Inſcriptio, quæ *Fundatoris* continet *Epitaphium*, eſt hæc: *Wolfgangus Theodoricus Raittenavius, Salisburgenſium Archiepiſcopus & Princeps, Sacellique hujus & Cœmeterii Fundator, plebem ſuam, dum viveret, enixe fovens amanſque, inter eandem pariter in hac Ædicula* (1) *mortuus ſepeliri, Deo ſic permittente, ſtatuit; ideoque & eos, penes quos poſt ipſius obitum ſumma rerum hujus Provinciæ erit, vivus hoc Epitaphio hortatur, & in Domino rogat, ut hi defuncti cadaver ne exenterent, neve ultra viginti quatuor horas ſpectandum publice proponant, ſed ſtatim conditionibus hiſce ſepulturæ mandent: nimirum non aliis, quam quotidianis viventis veſtibus induunto: famuli a cubiculo obſcurioris ſortis, quod vivum curabant corpus, terræ inferunto: feretrum unius ſignum Crucis cum quatuor tantum cereis præcedunto: illud ipſum ſex omnino Religioſi Ordinis S. Franciſci de obſervantia, nec ulli alii comitantor: idque non interdiu, ſed noctu, abſque campanarum pulſu, excepta ea, quæ prope Sacellum defuncti apud S. Sebaſtianum eſt, exequuntor: nemo veſtem lugubrem funeris hujus cauſa ſumito, ſed potius Deum O. M. pro defuncti anima peccatiſque exoranto & deprecantor: ſingula hæc ita integra & illæſa ſunto, & a poſteris cuſtodiuntor atque conſervantor, ſicut Deum O. M. & ipſi poſt fata ſibi propitium orant exoptantque.*

Die XXIII. Septembris inviſit CÆSAR *Caſtrum* (2) *Juvavienſe*, vulgo nunc *Hohen-Saltzburg* dictum, quod cum ſeculo poſt Chriſtum *quinto* ab (3) *Attila* Hunnorum Rege una cum Vrbe funditus everſum eſſet, & annis amplius quingentis jacuiſſet deſertum, ſeculo demum Æræ Chriſtianæ *undecimo* ex ruinis ſuis primum cœpit reſurgere ſub *Gebhardo*, qui (4) A.C. 1060. Archiepiſcopus Saltzburgenſis electus eſt, & A. 1062. Pallium Archiepiſcopale impetravit a Summo Pontifice *Alexandro II.* atque ab eodem S. Sedis Apoſtolicæ in Germania Legatus declarari meruit. Cauſa autem reædificandi iſtius Caſtri fuit, quod jam memoratus Archiepiſcopus *Saxonibus*, *Imp. Henrico IV.* rebellantibus, adhæreret, ideoque ab illo & ſibi & Metropolitanæ ſuæ Urbi *Saltzburgenſi* hoſtilem vim meueret. Quod enim is tunc factioni

Sa-

(1) *Obiit Archiepiſcopus* Wolfgangus Theodoricus *A. 1617. d. 16. Januarii, cum inde ab anno 1611. quo die 26. Octobris* Maximilianus *Dux Bavariæ* Saltzburgum *armata manu occupavit, integros quinque annos & duos menſes in Arce Saltzburgenſi arctiſſimam captivitatem ſuſtinuiſſet.*

(2) *Nonnulli exiſtimant, amni* Juvavo *a militibus Romanis nomen hoc inditum eſſe a* juvandis *expeditionibus militaribus, quaſi diceretur die* Hülfach *vel* Helfach, *ideoque &* Caſtrum Juvavienſe, *quod ſine dubio ab eodem fluvio* Juvavo *denominatum eſt, interpretantur germanice* Helffenburg, *quaſi* Caſtrum adjutorii. *Vide* Pighii *Herculem Prodicium pag. 219.* Philippus *autem* Cluverius *de etymologia iſtius vocabuli nihil habet, quod liquido affirmet, quemadmodum nec ego.*

(3) *Periit* Attila *A.C. 453. ſecundum* Caſſiodorum, *vel A. 454. ſecundum* Marcellinum Comitem. *Vide ſupra pag. 57.*

(4) *Vide Card. Baron. Annal. Eccleſiaſt. Tom. XI. ad an. 1062. Errat ergo* Pighius *in Hercule Prodicio, dum ſcribit, contigiſſe hanc* Caſtri Juvavienſis *reædificationem circa annum Chriſti* milleſimum quinquageſimum, *hoc eſt,* decennio *ante, quam* Gebhardus *eligeretur Saltzburgenſis Archiepiſcopus. Ibidem quoque* Gebhardus *perperam vocatur tantum* Epiſcopus, *non autem* Archiepiſcopus.

Saxonum adeo fuerit deditus, ut etiam ipse in castris eorum versatus sit, testatur coætaneus Autor anonymus in (1) *Apologia pro Imp. Henrico IV.* his verbis: *Vidimus etiam in castris, quæ posuerunt Saxones atque Thuringi ad locum Herosfeldiæ, Gebehardum, dictum quondam Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui post multa Ecclesiæ stipendia cœpit jam quasi puer centum annorum militare in castris Saxonum, ac paulo post recepturus dignam factorum suorum remunerationem obiit, postquam a viris sanguinum, suis scilicet participibus, effusus est sanguis multorum in circuitu Wirtziburgensis Ecclesiæ, velut in circuitu Hierusalem.* Hactenus ille. Hæc igitur, ut dixi, fuit causa reædificandi desolati *Castri Juvaviensis*, quod postea sequentes Archiepiscopi, & quidem inprimis proxime præcedenti & hoc nostro seculo, valde ampliarunt, murisque & turribus, & propugnaculis, & omni apparatu bellico adeo munierunt, ut nunc non solum ab omni hostili incursione sit tutissimum, sed & inexpugnabile videatur. Unus tantum ad illud patet accessus via acclivi & mediocriter ardua; cætera autem ejus latera cinguntur vasto præcipitio, nec periculum est a vicinis montibus, quippe ex quibus id propter nimiam distantiam tormentis bellicis non potest oppugnari. Hoc itaque *Castrum* spectatu dignissimum, quod continua militum statione custoditur, nec peregrinis aut ignotis absque speciali Principis permissu intrinsecus monstratur, perlustravit CÆSAR die XXIII. Septembris ante meridiem, & non vulgarem ex ejus contemplatione percepit delectationem, cum propter situm ipsum & prospectum, tum præcipue ob admirandum structuræ modum & abundantiam omnium rerum, quæ non solum ad conservationem bellicæ Arcis, verum etiam ad commodam & elegantem cujusque Principis habitationem sunt necessariæ. Quibus omnibus bene consideratis, rediit CÆSAR ex *Castro* in *Palatium Archiepiscopale* sub disploſione ingentis numeri magnorum tormentorum bellicorum: ego autem remansi adhuc aliquantulum in *Castro*, & privata quadam curiositate literaria omnem adhibui diligentiam, ut investigarem ac contemplarer pretiosissimam illam celeberrimamque *Statuam æneam*, pro *Antinoi* ab *Imp. Hadriano* adamati imagine a nonnullis habitam; quam cum certo constaret ibi olim fuisse adservatam, mirari satis non potui, cur adeo eximium & rarum antiquitatis monumentum S. CÆSAREÆ MAIESTATI non esset monstratum, æque ac aliæ multæ res longe minoris pretii. Verumenimvero quandoquidem ego *armarium* illud *rotundum*, in quo pulcherrima illa Statua olim inclusa steterat, tunc reperi *vacuum*, nec Ipse CÆSAR, quem ex relatione mea ejusdem videndæ desiderium incesserat, quas nescio ob causas, voto suo potiri potuit, operæ pretium me facturum arbitror, si saltem ea, quæ ab aliis ante me de præstantissima illa *Statua* lite-

(1) *Extat ea Tomo primo Scriptorum Rerum Germanicarum a* Marquardo Frehero *editorum Francof. typ. Wehel. Anno 1600. in fol. Vide ibi pag. 215.*

literis tradita sunt, simul & quid ipse de eadem censeam, paucis hic inseruero. Primam pervetustæ hujus *Statuæ* mentionem publicam inveni in Syntagmate antiquarum Inscriptionum, quod a *Petro Apiano* & *Bartolomæo Amantio* Ingolstadii anno 1534. in folio, ut vocant, editum est; quippe ubi inter *Inscriptiones* in *Norico mediterraneo* repertas exemplum ejus ligno incisum exhibetur, uti hic e regione æri incisum videre est (*). Verba autem Apiani & Amantii eodem pertinentia hæc sunt: *Hanc hominis effigiem ære fusam in Carinthia repertam esse intelleximus, quemadmodum videre licet in* (1) *Antiquitatibus Carinthianis. Verum conjicio traductam esse Salisburgum mandato & jussu Reverendissimi Cardinalis Matthæi, Archiepiscopi Salisburgensis. Nam, quod multis annis constat antiquitatum summus cultor & admirator, ut & doctorum Virorum Mæcenas Maximus fuit, ob id & ad monumenta Salisburgensia adimprimere lubitum est; &, ne quid desideretur, addidimus etiam* (2) *interpretationem, quam nacti sumus, in quo judicium uniuscujusque expectamus: tamen nec hoc tacebimus, quod exemplaria dissentiunt. Nam in uno deprendimus longitudinem fuisse* (3) *IX. pedum, in alio vero VI. pedum geometricorum tantum & quartæ partis.* Hæc *Petrus Apianus & Bartolomæus Amantius. Stephanus* autem *Vinandus Pighius*, qui eandem Statuam an. 1574. *Saltzburgi* propriis vidit oculis, agit de illa in *Hercule* suo *Prodicio* aliquanto prolixius his verbis: *Inter omnia visu digna, quæ Carolus Fridericus, Dux Cliviæ, Juliæ & Montium, in Castro Juvavienſi perlustravit, maxime admiratus est antiquissimam illam pulcherrimi operis æneam Statuam humana statura majorem nudi* (4) *Juvenis, stantis in rotunda basi, in cujus femore dextro duorum nomina, quorum cura & impensis transportata in Provinciam & erecta fuit, leguntur his notis inscripta:*

A. POBLICIVS. D. L. ANTIOC.
TI. BARBIVS Q. P. L. TIBER.

Et non (5) *dissimilis est illi marmoreæ, quæ Romæ visitur in hortis Pontificiis sub Vaticano, & putatur Genius Principis vel Antinoi illius esse, quem Hadrianus Imp. sibi charissimum, & morte præpropera sublatum, numero Deorum adscribi jussit, & cujus ob memoriam ubique terrarum Tem-*

(*) *Huc pertinet apographum sive exemplar antiquæ* Statuæ æneæ Saltzburgensis *æri incisum.*

(1) *Quæ hic intelligantur* Antiquitates Carinthianæ, *nondum mihi liquet. Antiqua enim illa duo* Chronica Carinthiaca manuscripta, *quæ in* Augustissima Bibliotheca Cæsarea *adservantur; non pertingunt usque ad annum 1502. quo* Statua *illa in Carinthia reperta est, ut testatur* Hieron. Megiserus *in germanicis suis Annalibus Carinthiæ lib. 3. cap. 9.*

(2) *Quæ illa sit* interpretatio *& cujus momenti, paulo post indicabitur.*

(3) *Hanc traditionem, ut veram, confirmant non solum* Pighius *in Hercule Prodicio &* Hieron. Megiserus *in Annal. Carinthiæ, verum etiam ipsa* altitudo armarii, *in quo olim ea Statua stetit inclusa.*

(4) *Immo* Viri *potius* militaris.

(5) *Immo* valde dissimilis.


M·GALLICINVS·VINDILLE·L·BARB·LL·PHILOTERVS·PR·CRAXANTVS·BARBIPS
A·PVBLICIVS·D·L·ANTIOC·
TI·B·ARBVS·Q·P·L·TIBER·





pag. 382.



Templa, Aras ac Statuas erigi, Sacra, Sacerdotes, ac Flamines instituti voluit. Atque ut etiam æternitati eum magis consecraret, in Ægypto, ubi in Nilo periit, Vrbem (1) *condidit, & ex ipsius nomine Antinoipolim appellavit. Hanc vero Statuam, vastantibus Romanas Provincias barbaris, a* (2) *Juvavia Hadriana, vel alio loco vicino avectam inter montes, sepultam in terra, absconditam fuisse* (3) *constat. Nam abhinc ante annos* (4) *LXX. primum a rustico, dum agrum foderet, est inventa in* (5) *monte S. Helenæ apud Oppidum S. Viti, unde eam postea Matthæus Langius a Wellenburg Cardinalis & Archiepiscopus Saltzburgensis transtulisse* (6) *dicitur, ut erat antiquitatum & virtutum omnium summus cultor & admirator, doctorumque Virorum Mæcenas sui temporis maximus.* Hucusque *Pighius.* Notandum autem hic *primo* est, *Pighianam* hanc antiquæ istius Statuæ æneæ *Saltzburgensis* descriptionem non esse integram, quia silentio ibi prætermittitur *Inscriptio parmæ*, quæ una cum Statua reperta fuit, uti ex apographo sive exemplo ejus a *Petro Apiano* publicato & (7) supra inserto videre est. Notandum *secundo* est, veritati haud respondere, quod *Pighius* affirmat, æneam hanc Statuam *Saltzburgensem* non esse dissimilem illi marmoreæ, quæ *Romæ* visitur in Hortis Pontificiis sub Vaticano, & imago creditur esse *Antinoi*, ab *Imp. Hadriano* adamati, qui cum in primo flore adolescentiæ in *Nilo* periisset, ab ipso in numerum Deorum relatus est. Ut enim hac de re quisque suis oculis & pro lubitu judicare possit, propono hic in medio exemplum marmoreæ illius Statuæ æri inciſum, quemadmodum illud extat inter antiquas Vrbis Romæ Statuas, quas *Joannes Baptista de Cavalleris* A. 1585. in folio edidit, & S. R. E. Cardinali *Ludovico Madrucio* dedicavit (**). Hæc videlicet *Statua marmorea Vaticana* exhibet nobis adolescentem glabrum ac depilem, prorsusque inermem, & tanquam voluntariam mortem pro *Imp. Hadriano* obeundam meditantem: at *Saltzburgensis* illa *ænea* Virum repræsentat militarem hirsutum, cum parma & securi bellica. Notandum *tertio* est, nec verum esse, nec verisimile, quod idem *Pighius* jam citato loco refert, Statuam illam æneam a barbaris Romanas Provincias vastantibus ex Vrbe *Juvavia* in *Carinthiam* avectam, atque ibi inter montes sub terra esse absconditam. Vana enim hæc est & nullius momenti conjectura, quæ nullo alio niti-

(1) *Immo* instauravit *tantum sive* reædificavit. *Sic enim apud* Dionem Cassium *lib. 69. ubi de eadem Vrbe agit, non legitur* ὠκοδόμησε *sed* ἀνῳκοδόμησε.

(2) *Hoc neque verum est, neque verisimile, ut paulo post prolixius indicabitur.*

(3) *Immo hoc probandum est.*

(4) *Immo ante annos fere LXXII. nempe currente anno Christi 1502. ut paulo post prolixius indicabitur.*

(5) *Accuratior veriorque est relatio* Hieron. Megiseri, *qui in Annalibus Carinthiæ lib. 3. cap. 9. scribit inventam esse illam Statuam in celeberrimo Carinthiæ* Campo Solvensi, *vulgo dicto* Solfeld, *vel corrupte das* Zollfeld. *Qua de re vide paulo post plura.*

(6) *Immo ea de re non est dubitandum.*

(7) *Vide supra pag. 380.*

(**) *Huc pertinet apographum sive exemplar Statuæ marmoreæ* Antinoi, *quæ extat* Romæ *in Hortis Pontificiis in* Vaticano.

nititur fundamento, quam quod *Pighius* falso credidit, hanc Statuam esse imaginem *Antinoi*, eamque ab *Imp. Hadriano* in *Colonia Juvavia* a se deducta initio erectam fuisse. Certe si barbari illi voluissent Statuam illam æneam tantum abscondere sub terra, haud opus fuisset adeo longa ejus avectione in *Carinthiam*, sed potuisset hoc fieri multo commodius sub ruinis ipsius *Coloniæ Juvaviæ*; aut si voluissent illam omnino abolere, potuisset ea facili negotio æque conflari & in rudem aliquam massam redigi, quam aliæ multæ Statuæ aureæ, argenteæ & æneæ, quibus idem infortunium in diversarum Urbium excidiis obtigit. De hac enim consuetudine hostili vel *obruendi* vel *conflandi Statuas* insignis extat locus apud *Senecam Tragicum Phœnissarum* sive *Thebaidos* Actu secundo, Scena prima, quippe ubi *Oedipus* filios suos ad delendas *Thebas* incitat his verbis:

Ferte arma: facibus petite penetrales Deos,
Frugemque flamma metite natalis soli;
Miscete cuncta; rapite in exitium omnia;
Dejicite passim mœnia, in planum date;
Templis Deos obruite, maculatos Lares
Conflate; ab imo tota considat domus;
Vrbs concremetur.

Huc quoque pertinet *L. Annæi Flori* locus lib. 2. cap. 16. ubi de excidio Vrbis *Corinthi* & conflatione statuarum ejus agens, *Quantas*, inquit, *opes & abstulerit & cremaverit Mummius, hinc scias, quod, quicquid Corinthii æris toto Orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ Vrbis fecit injuria, quia incendio permistis plurimis Statuis atque simulacris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere.* Notandum *quarto* est, *tempus inventionis* Statuæ illius æneæ *Saltzburgensis* non satis clare & accurate a *Pighio* exprimi, dum scribit, eam inventam esse ante annos *septuaginta*, sed audiendum hic potius esse (1) *Hieronymum Megiserum*, qui in *Annalibus Carinthiæ*, lingua Germanica Lipsiæ anno 1612. in folio editis, lib. 3. cap. 9. eandem illam Statuam eodem modo, atque *Petrus Apianus*, ligno incisam exhibet, simul & testatur atque publica Procerum Carinthiæ autoritate confirmat, eam in *Carinthia* repertam esse anno Christi *millesimo quingentesimo secundo*. Notandum *quinto* est, quamvis *Pighius* Statuam illam æneam in Monte Carinthiæ cognominato *S. Helenæ* inventam esse referat, majorem tamen habendam esse fidem supra laudato *Hieronymo Megisero*, (2) qui eam tradit repertam esse inter jam memoratum montem *S. Helenæ* & Vrbem *Clagenfurt* in celeberri-

(1) *Idem ante* Hieronymum Megiserum *memoriæ quoque tradiderunt* Petrus Apianus & Bartolomæus Amantius *pagina 397. supra citati Syntagmatis antiquarum Inscriptionum.*

(2) *Annal. Carinth. lib. 3. cap. 9.*

berrimo illo *Campo* seu *Agro*, qui vulgo nunc appellatur *das Solfeld*, quasi *Campus* seu *Ager Solvensis*, quoniam ibi olim situm fuit pervetustum *Municipium Solvense*, cujus ampliſſimæ ruinæ etiamnunc visuntur *circa Vicum & Ecclesiam Beatissimæ Dei-Genitricis*, a vulgo latine loquentium corrupte cognominatam (1) *Soliensem* vel *in Solio*, germanice autem *Vnser Frauw im Saal*. Meminit hujus *Municipii Solvensis*, in *Norico mediterraneo* siti, *Plinius* Hist. Natural. lib. 3. cap. 24. ubi de *Norico* agit, his verbis: *A tergo Carnorum & Japidum, qua se fert magnus Ister, Rhætis junguntur NORICI. Oppida eorum Virunum, Celeja, Teurnia, Aguntum, Viana, Æmonia, Claudia, Flavium, SOLVENSE.* Hæc *Plinius*. Qui cum eam Vrbem in genere, ut vocant, neutro *Solvense* appellet, recte, ut arbitror, inde colligitur, eam (2) fuisse *Municipium*, non autem *Coloniam*, uti qua nescio autoritate nuncupatur a *Wolfgango Lazio* Commentarior. de Rep. Romana lib. 12. sect. 6. cap. 6. quod *de Virumo, Vacorio & Colonia Solvensi* inscribitur. Neque illud silentio hic prætereundum est, errare *Hieronymum Megiserum*, dum in supra citatis Annalibus Carinthiæ lib. 1. cap. 2. *Plinianum* illum de *Norici* Vrbibus locum, omisso commate inter *Flavium* & *Solvense*, perperam ita interpretatur, quasi *Municipium Solvense* utrumque illud habuerit nomen, & *Flavium Solvense* appellatum sit, cum tamen certo constet, *Flavium* & *Solvense* duas fuisse diversas Vrbes, longo intervallo a se invicem dissitas; nempe hanc quidem in *Norico mediterraneo* haud procul a *Carinthiæ* Vrbe *Clagenfurt*, illam (3) autem in *Norico Ripensi* ad ripam *Danubii* haud procul a *Cetii* Montis in *Inferiori Austria* principio, vulgo dicto *der Kalenberg*. Idem *Municipium Solvense* alias quoque simpliciter fuit appellatum *Solva*, nec est confundendum, ut *Abrahamus Ortelius* & *Philippus Ferrarius* in Lexicis suis Geographicis perperam faciunt, cum *Solva Pannoniæ Mansione*, cujus non solum *Antoninus* in itinere ab (4) *Acinco* (5) *Crumerum* meminit, verum etiam antiqua *Notitia Utriusque Imperii Romani*; ubi & hoc expresse additur, stationem suam ibi habuisse *Equites Mauros sub dispositione Viri spectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripensis*. Errat *etiam* Matthæus *Merianus in Topographia Provinciarum Austriacarum* (6), ubi de *Vitopoli* seu *Vrbe S. Viti* in *Carinthia* agit *Solvam* sive *Municipium Solvense*, in *Norico mediterraneo* situm, perperam confundit cum *Sala* vel *Salla*, quam *Ptolemæus* Geographiæ

(1) *Exempla hujus erroris videsis apud* Lazium *Commentar. de Rep. Romana lib. 12. sect. 6. cap. 5. & de Migrat. Gentium lib. 7. p. 304.*

(2) *De differentia inter* Municipia & Colonias *vid. supra pag. 98. & 99.*

(3) *Nempe* Flavium; *de cujus situ vide supra pag. 72.*

(4) Acincum, *quod alias etiam* Acumincum, Acimincum, Acunincum & Acinquum *appellatur, interpretatur* Josias Simlerus Cametz *in Pannonia Inferiori. Vide &* Ortelii *Thesaurum Geographicum in explicatione nominis* Acumincum.

(5) Crumerum *interpretatur* Simlerus Comorrn.

(6) *Pag. 97.*

phiæ lib. 2. cap. 15. *Pannoniæ Superiori* accenſet, & *Antoninus* in ſuo Itinerario inter (1) *Raclitanum* & (2) *Sabariam* collocat. In antiquiſſimo igitur illo *Norici mediterranei Municipio Solvenſi*, cujus *Epiſcopatus*, qui in *Carinthia* fuit primus & vetuſtiſſimus, a *Gebhardo* Archiepiſcopo Saltzburgenſi A. C. 1072. vel 1073. *Gurckium* translatus eſt, erecta primum fuit *Statua* illa *ænea virilis ignuda*, de qua in præſens agitur, & in ejuſdem quoque ruinis anno 1502. a ruſtico, dum agrum foderet, fortuito iterum inventa eſt. Tranſtulit autem eam *Saltzburgum Matthæus Langius* S. R. E. *Cardinalis*, qui A. C. 1519. *Archiepiſcopus Saltzburgenſis* electus eſt, & an. 1540. obiit. Cæterum quod ad *duas* illas *Inſcriptiones*, quæ in jam C

A memoratæ *Statuæ æneæ femore dextro* & *parma* extant, attinet, vehementer doleo, quod ipſe propriis oculis eas non potuerim intueri & deſcribere. Quamvis enim *Petrus Apianus* & *Bartholomæus Amantius*, ut (3) ſupra jam indicavi, apographum iſtius *Statuæ* primi publicaverint, ipſi tamen eam non viderunt, ideoque jam memoratas *duas Inſcriptiones* in uno atque eodem veterum B Inſcriptionum Syntagmate duobus diverſis locis, nempe pag. 397. & pag. 414. ex duobus diverſis exemplaribus ſecum communicatis tanta diſcrepantia ediderunt, ut & ipſi de vera & genuina earum lectione dubitaſſe videantur. Pagina quippe *trecenteſima nonageſima ſeptima* exhibent eas hoc modo:

A. POBLICIVS D. L. ANTIOC
TI BARBIVS. P. L. TIBER

M. GALLICINVS
VINDILIEL BARB.
LL. PHILOTAERVS PR.
CRAXSANTVS
BARBIVS.

Pagina autem *quadringenteſima decima quarta* exhibent eaſdem ſic:

A. POBLICIVS. D. L. ANTIOC.
TI. BARBIVS. Q. P. L. TIBER.

M. GALLICINVS. VINDILLE. L.
BARB. LL. PHILOTERVS. P. R.
CRAXSANTVS. BARBI. P. S.

Quam *poſteriorem* harum duarum Inſcriptionum *editionem* etiam *Hieronymus Megiſerus* in ſupra citatis Annalibus Carinthiæ lib. 3. cap. 9. & *Janus Gruterus* in magno antiquarum Inſcriptionum Syntagmate pag. 989.

(1) *Nunc* Rakelsburg *ad fluvium* Murum. *Vide* Cluver. *Chorographiam Vindel. & Nor. cap. 5. pag. 740.*

(2) *Nunc* Savar *ad* Guntii & Arrabonis *confluentes. Vide* Cluverium *jam citato loco.*

(3) *Vide ſupra pag. 380.*

989. secuti sunt. Secundum eandem quoque editionem interpretantur *Petrus Apianus*, *Bartolomæus Amantius* & *Hieronymus Megiserus* primam Inscriptionem hoc modo:

Aulus Publicius Drusi libertus,
Antiochus Titus Barbius,
Quæstores posuere Lucio Tiberio.

Alteram autem Inscriptionem explicant iidem sic:

Marcus Gallicinus Vindillæ libertus
Barbius L. libertus Philoterus Populi Romani
Craxsantus Barbius posuero suis.

Verumenimvero quantum hæ *interpretationes* a vera illarum Inscriptionum lectione & genuino earundem sensu discrepent, ex sequentibus animadversionibus videre est. Jam A *primo* nempe hæc verba abbreviata A. POBLICIVS D. L. non sunt interpretanda AVLVS POBLICIVS DRVSI LIBERTVS, sed AVLVS POBLICIVS DECIMI LIBERTVS. Quotiescunque enim singularis litera D. ita, ut hic usurpatur, in antiquis Inscriptionibus occurrit, non significat ea vel nomen gentilitium *Decius*, vel cognomen *Drusus*, sed prænomen (1) *Decimus*, quemadmodum jam pridem recte monuit doctissimus *Carolus Sigonius* in libro de nominibus Romanorum. Pertinet huc inprimis antiqua illa Inscriptio, *Romæ* extans *in Vinea Carpensi*, quam *Janus Gruterus* pagina 997. magni Syntagmatis veterum Inscriptionum exhibet hoc modo:

P. TERENTIVS. D. L.
PHILEMO
EX. TESTAMENT. ARBITRATV
D. IVNI. D. L. PHOSPHORI.

Qui enim abbreviate hic vocatur D. IVNIVS. D. L. PHOSPHORVS, is integra scriptura appellandus est DECIMVS IVNIVS DECIMI LIBERTVS PHOSPHORVS. *Secundo*, abbreviata vox ANTIOC. sive ANTIOCHVS non pertinet ad sequentia verba TI. BARBIVS, sed ad præcedentia verba A. POBLICIVS D. L. tanquam *cognomen*, æque ac in alia antiqua Inscriptione Romana, quæ extat apud Gruterum pag. 738. hoc modo:

DIS. MANIBVS
D. PVBLICIO. ANTIOCHO. ET
PVBLICIAE. MVSAE
VXORI
PVBLICIA. SP. F. ALBANA
PATRI. ET MATRI. OPTIMIS
CVM.

(1) M. Terentius Varro *lib. 8. de Ling. Lat.* testatur *prænomina* Quintus Sextus & Decimus *initio iis esse indita*, qui quinto, sexto vel decimo loco essent nati.

CVM. M. CAESONIO. PRIMO
LIBERTO. FECIT.

Verisimile etiam videtur, DECIMVM PVBLICIVM ANTIOCHVM, cujus in hac Inscriptione fit mentio, illum ipsum esse, cujus libertus fuisse traditur AVLVS POBLICIVS, cujus mentio extat in antiqua illa Statua ænea. *Tertio*, vox abbreviata TI. non est interpretanda TITVS; sed TIBERIVS. Qui enim in Antiquitatibus Romanis vel leviter versatus est, satis novit, prænomen *Titus* abbreviate scribi singulari litera T. prænomen autem *Tiberius* binis literis TI. *Quarto*, verba abbreviata Q. P. L. TIBER. non sunt interpretanda QVÆSTORES POSVERE LVCIO TIBERIO, sed QVINTI & PVBLII LIBERTVS *cognomine* TIBERINVS. Habuit enim libertus hic *Tiberius Barbius Tiberinus* duos uno tempore Patronos *Quintum* nempe & *Publium*, inter quorum prænomina abbreviata Q. P. particula conjunctiva ET propter angustiam spatii æque hic omissa est, atque in alia quadam antiqua Inscriptione, quæ extat apud Gruterum pag. 1155. ubi legitur T. AELIVS M. C. LIB. STEPHANVS. *Quinto*, pro VINDILIE vel VINDILLE sine dubio legendum est VINDILLAE, nec dubitandum, quin incuria statuarii simplex E pro AE ibi positum sit. Hæc videlicet est eadem illa VINDILLA, cujus fit mentio in alia quadam antiqua Inscriptione, quam Janus Gruterus p. 537. magni Syntagmatis veterum Inscriptionum testatur extare *Kuendorffii in Stiria* hoc modo:

C. CLAMILLIO. PRISCO
VET. AN. LXXX. ET
VINDILLAE. CRIELONIS.
F. CON. AN. LX.

Marcus autem *Gallicinus*, qui *Vindillæ* hujus fuit *libertus*, habuit sine dubio præter prænomen *Marcus* & cognomen *Gallicinus* etiam tertium aliquod nomen medium, nempe *gentilitium*; sed illud a statuario propter angustiam loci omissum est. *Sexto*, post nomen VINDILLAE, & proxime sequentem literam singularem L., qua significatur LIBERTVS, omissa est alia litera singularis L. sive prænomen LVCIVS. *Septimo*, duæ illæ literæ PR. quæ *Lucii Barbii Lucii Liberti* cognomen PHILOTERVS immediate sequuntur, non sunt interpretanda POPVLI ROMANI, sed significat prænomen PROCVLVS, quod ad proxime subsequens cognomen CRAXSANTVS pertinet, uti jam jam pluribus indicabitur. *Octavo*, vox abbreviata BARBI., quæ cognomini CRAXSANTVS, subjungitur, non est, si eo loco relinquenda sit, interpretanda BARBIVS, ita ut sit *nomen gentilitium*, sed BARBIANVS, ita ut sit *agnomen*, quod, uti inter omnes con-

conſtat, poſt *cognomen* ultimo loco ſolet collocari. Si igitur ea vox jam dicto modo explicetur, neceſſario ſequitur, inter prænomen PROCVLVS & cognomen CRAXSANTVS propter anguſtiam loci a ſtatuario omiſſum eſſe *nomen gentilitium*. Mihi autem veriſimilius videtur, vocem abbreviatam BARBI. incuria ſtatuarii male transpoſitam, & tanquam *nomen gentilitium cognomini* CRAXSANTVS præponendam & interpretandam eſſe hoc modo: PROCVLVS BARBIVS CRAXSANATVS. Quod enim nomen PROCVLVS Genti *Barbiæ* familiare fuerit teſtatur *Tacitus* Hiſtor. lib. 1. cap. 25. ubi refert, inter eos, quorum opera *M. Salvius Otho* contra *Imp. Galbam* Imperium invaſit, primum & præcipuum fuiſſe *Barbium Proculum Teſſerarium Speculatorum*. Neque vero mirum cuiquam videri debet, nomen PROCVLVS jam citato *Taciti* loco integra ſcriptura nomini gentilitio *Barbius* ſubjungi tanquam *cognomen*, in Inſcriptione autem Statuæ æneæ Saltzburgenſis idem nomen PROCVLVS nomini gentilitio *Barbius* abbreviate præponi tanquam *prænomen*. Eſt enim PROCVLVS unum ex illis antiquiſſimis nominibus Romanis, quæ principio quidem tantum fuere *prænomina*, uti *Agrippa*, *Voluſus*, *Mamercus*, *Tullus*, & alia quædam ejus generis, poſtea autem etiam pro (1) *cognominibus* uſurpata ſunt; ut præter *Priſcianum* lib. 2. teſtatur etiam *Valerius Probus* his verbis: *Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina ſunt, ut Poſtumus, Aggrippa, PROCVLVS.* Hæc *Valerius*. *Nono* denique, ultimæ duæ literæ ſingulares P. S. non ſunt interpretandæ POSVERVNT SVIS, ſed POSVERVNT SOLVAE. Per *Solvam* enim intelligitur ſupra memoratum *Norici mediterranei Municipium SOLVENSE*, in cujus ruinis Statua illa ænea An. 1502. a ruſtico, dum agrum foderet, fortuito inventa eſt. Secundum hanc igitur emendationem & explicationem meam duæ illæ Inſcriptiones conjunctim legendæ & interpretandæ ſunt hoc modo:

AVLVS POBLICIVS DECIMI LIBERTVS ANTIOCHVS,
TIBERIVS BARBIVS QVINTI ET PVBLII LIBERTVS TIBERINVS,
MARCVS GALLICINVS VINDILLAE LIBERTVS,
LVCIVS BARBIVS LVCII LIBERTVS PHILOTERVS,
PROCVLVS BARBIVS CRAXSANTVS PROCVLI LIBERTVS,
POSVERVNT SOLVAE.

Cæterum uti plane abſurda eſt eorum opinio, qui Statuam hanc putant eſſe (2) *Antinoi* ab *Imp. Hadriano* adamati imaginem, ita non multum abeſt, quin indubitanter affirmare auſim, Statuam hanc a *quinque*

(1) *Hinc Sextus Pompejus Feſtus* Proculum, *inquit*, inter cognomina eum dicunt, qui natus eſt patre peregrinante a patria procul. Sunt etiam, qui Proculos credant ideo dictos, quia patribus ſenibus, quaſi procul progreſſis ætate nati ſunt.

(2) *Vide ſupra pag. 378. & 379.*

que illis *libertis*, quorum nomina in *femore* & (1) *parma* leguntur, *Solvæ* sive *in Municipio Solvensi* (2) ære collato & communi nomine positam atque erectam esse in honorem TIBERII BARBII TITIANI, DECVRIONIS COLONIAE AEMONAE, cujus mentio fit in antiqua Inscriptione, quam (3) *Petrus Apianus*, *Bartolomæus Amantius* & (4) *Janus Gruterus* referunt *Laybaci in Carniola in Cœmeterio Curiæ Cruciferorum* extare hoc modo:

M. TITIO. M. F. (5) CL. TI. BARBIO. TITIANO. DECVRIONI AEMONAE. 7. LEG. II. ADIVTRIC. ITEM LEG. X. FRETENS. HASTATO. IN. COH. I. LEG. II. TRAIAN. EX. CORNICVLAR. PR. PR. LARCIA. VERA. FILIO. PIISSIMO. L. D. D. D.

In honorem igitur hujus *Tiberii Barbii Titiani*, qui fuit *Decurio* (6) *Æmonæ*, &, priusquam in *Barbiam Gentem* adoptatus est, appellatus fuit *M. Titius M. F.*, erectam esse arbitror Statuam illam æneam, quæ in ruinis *Municipii Solvensis* Anno 1502. a rustico inventa, & ab Archiepiscopo Saltzburgensi *Matthæo Langio Saltzburgum* translata est. Quod superest, quandoquidem jam memorata Statua a nonnullis falso habita est pro Antinoi ab Imp. Hadriano adamati imagine, lubet mihi hic inserere insignia tria veterum Autorum loca, quibus historia vitæ & interitus ipsius, quam *Stephanus Vinandus Pighius* (7) supra citato loco paucis attigit, plurimum potest illustrari. Horum primus extat apud *Pausaniam* Descriptionis Græciæ antiquæ libro octavo, qui *Arcadica* inscribitur, his verbis: (8) Ἐνομίσθη δὲ καὶ Ἀντίνους τοῖς Μαντινεῦσι εἶναι θεός. ναῶν δὲ ἐν Μαντινείᾳ νεώτατος ὁ τοῦ Ἀντίνου ναὸς οὗτος, ἐσπουδάσθη περισσῶς δή τι ὑπὸ βασιλέως Ἀδριανοῦ. Εγὼ δὲ μετ' ἀνδρώπων μὲν ἔτι

(1) *Hanc parmam* Petrus Apianus, Bartolomæus Amantius & Hieronymus Megiserus *supra citatis locis perperam vocant* Diadema *seu* Pileum æneum rotundum inauratum instar lancis vel patinæ, *germanice* einen runden kupffernen Hut, wie ein Schüssel, so vergüldet gewesen.

(2) *De hac formula* ÆRE COLLATO, *quæ in veterum statuarum Inscriptionibus frequens occurrit*, *vide* Emundi Figrelii *Librum singularem de Statuis Illustrium Romanorum cap. 22.*

(3) *In Syntagmate veterum Inscriptionum p. 371.*

(4) *In Syntagmate antiquarum Inscriptionum p. 475.*

(5) *CL. hoc est*, ex Tribu CLAVDIA. *Vide* Carol. Sigonium, Onuphr. Panvinium; Joan. Rosinum & *cæteros Antiquitatum Romanarrm Scriptores*, *ubi agunt* de Tribubus Romanis.

(6) Æmonam *hanc vocat* Plinius *Hist. Nat. lib. 3. cap. 24.* Æmoniam & *recenset eam inter Vrbes* Norici. *Ipsa ejus verba vide supra pag. 385.* Wolfg. Lazius *Commentarior. de Rep. Rom. lib. 12. sect. 5. cap. 7. appellat eandem Vrbem minus recte* Hemonam & *ruinas ejus superesse asserit in* Iggio Carniolæ. Philippus *autem* Cluverius *in Chorographia Vindeliciæ & Norici tradit* Æmoniam Plinii *nomen etiam nunc retinere in Oppido* Amone, *quinque millia passuum supra* Julium Carnicum *in septentriones versus sito. Vide etiam* Abrahami Ortelii & Philippi Ferrarii *Lexica Geographica.*

(7) *Vide supra pag. 379. & 380.*

(8) *Pag. 469. edit. græco-lat. Wechel. Anno 1613. in fol.*

ἔτι αὐτὸν ὄντα οὐκ εἶδον, ἐν δὲ ἀγάλμασι εἶδον καὶ ἐν γραφαῖς. Ἔχει μὲν δὴ γέρα καὶ ἑτέρωθι, καὶ ὅτι τῷ Νείλῳ πόλις Ἀιγυπτίων ἐστὶν ἐπώνυμος Ἀντίνοου. τιμὰς δὲ ἐν Μαντινείᾳ τῇ τοιόνδε ἔσχηκε. Γένος ἦν ὁ Ἀντίνοος οὐκ (1) Βιθυνίας τῆς ὑπὲρ Σαγγαρίου ποταμοῦ· οἱ δὲ Βιθυνεῖς Ἀρκάδες τὸ ἀρχαῖόν εἰσι καὶ Μαντινεῖς τὰ ἄνωθεν. Τούτων εἵνεκα ὁ βασιλεὺς κατεστήσατο αὐτῷ καὶ ἐν Μαντινείᾳ τιμὰς, καὶ τελετή τε κατ' ἔτος ἕκαστον. καὶ ἀγών ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου. Οἶκος δέ ἐστιν ἐν τῷ γυμνασίῳ Μαντινεῦσιν, ἀγάλματα ἔχων Ἀντίνου, καὶ ἐς τὰ ἄλλα θέας ἄξιος, λίθων εἵνεκα οἷς κεκόσμηται, καὶ ἀπιδόντι ἐς τὰς γραφάς. αἱ δὲ Ἀντίνου εἰσὶν αἱ πολλαὶ, Διονύσῳ μάλιστα ἐοικυῖαι. Hoc est, *Romulo Amasæo* interprete: *Antinoi etiam religio est apud Mantinenses divinis honoribus sancita. Est Antinoi Ædes Mantinensibus recentissima, quam præcipua quadam cura Adrianus Imperator exornavit. Illum ego viventem non vidi; statuas autem & pictas ejus imagines sum conspicatus. Habentur*

A *ei cum alibi honores, & in Ægypto apud Nilum Vrbs de ejus nomine est appellata. Colitur Mantineæ ob hujusmodi causam. Patria ei fuit* (2) *Bithynia supra Sangarium amnem; Bithyni ipsi, ex Arcadia oriundi, Mantinenses olim fuere. Ob eam rem divinos ei honores a Mantinensibus haberi voluit Imp. Adrianus; annua præterea initia, & quinquennale ludicrum celebrari. Domus in Gymnasio est, in qua Antinoi signa servantur, tum reliquis ornamentis, tum lapidum nobilitate, tum vero pictis Antinoi imaginibus insignis. Eorum imaginum multæ Liberi Patris sive Bacchi insignia præ se ferunt.* Hæc *Pausanias.* Alter autem de eodem *Antinoo* notabilis locus extat in *Joannis Xiphilini* Excerptis ex C libro sexagesimo nono Historiæ Romanæ *Dionis Cassii* his verbis: ἐν δὲ τῇ Αἰγύπτῳ ὁ Ἁδριανὸς καὶ τὴν Ἀντινόου ὠνομασμένην ἀνῳκοδόμησε πόλιν. ὁ γὰρ Ἀντίνοος ἦν μὲν οὐκ (3) Βιθυνίδος πόλεως (4) Βιθυνίδος, ἦν καὶ Κλαυδιόπολιν καλοῦμεν· παιδικά τε αὐτοῦ ἐγεγό-

(1) *Locus mendosus, qui emendandus & supplendus est hoc modo:* Γένος ἦν ὁ Ἀντίνοος οὐκ Βιθυνίδος, πόλεως Βιθυνίας τῆς ὑπὲρ Σαγγαρίου ποταμοῦ· οἱ δὲ Βιθυνεῖς, *&c. Vide* Stephanum de Vrbibus *in voce* Βιθύνιον, & Dionis Cassii *locum, qui paulo post integre hic inseretur.*

(2) *Secundum superiorem emendationem meam legendum hic est:* Patria ei fuit Bithynium Vrbs Bithyniæ supra Sangarium amnem *&c.*

(3) *Hinc manifestum patet, præcedentem* Pausaniæ *locum recte a me emendatum esse.* Stephani *autem locus, quem ibidem in margine citavi, est hic:* Βιθύνιον πόλις Βιθυνίας· Παυσανίας ὀγδόῳ· ὁ οἰκῶν Βιθυνεύς. Pausanias *ergo, uti* Stephanus *hoc loco expresse testatur, non scripserat* οὐκ Βιθυνίας, *sed* ἐκ Βιθυνίδος & *paulo post non* Βιθυνεῖς, *sed* Βιθυνεῖς.

(4) *Vera hæc est hujus loci lectio, nempe* Βιθυνίδος, *non autem* Κιθυνίδος, *ut in alio quodam exemplari mendose ac depravate olim fuit lectum, teste* Abrahamo Ortelio, *qui in Thesauro suo Geographico refert, nonnullos hanc ob causam falso credidisse, patriam* Antinoi Bithynium *sive* Claudiopolim *alias etiam fuisse appellatam* Cithynidem. *Similis quoque error extat apud* Adolphum Occonem *in veteri Numismate, cujus Inscriptio* ΓΕΝΕΣΙΣ ΑΝΤΙΝΟΟΥ ΚΙΘΙΝΙΔΟΣ. *Nam & hic pro* ΚΙΘΙΝΙΔΟΣ *sine ullo dubio legendum est* ΒΙΘΥΝΙΔΟΣ. *Sensus autem Inscriptionis hujus est, Numisma hoc in memoriam nativitatis* Antinoi *cusum esse non ab una tantum aliqua Vrbe Bithyniæ, sed ab* universa Bithynide *sive* tota Provincia Bithynia. *Multo etiam gravius errant* Jacobus & Octavius de Strada *in Historia Imperatorum Romanorum, iconibus eorundem ex antiquis Numismatibus illustrata, quæ Tiguri An. 1557. in 8vo & Francofurti An. 1615. in folio edita est, dum utrobique*

γεγόνει, καὶ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύ-
τησεν, εἴτ' ἔν εἰς τὸν Νεῖλον, ἐκπε-
σών, ὡς Ἁδριανὸς γράφει· εἴτε καὶ
ἐσεσυληθείς, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει. τά
τε γὰρ ἄλλα περιεργότατος Ἁδριανὸς,
ὥσπερ εἶπον ἐγένετο, καὶ μαντείαις
μαγγανείαις τε παντοδαπαῖς ἐχρῆτο.
καὶ ὅτω γε τὸν Ἀντίνοον, ἤτοι διὰ τὸν
ἔρωτα αὐτοῦ, ἢ ὅτι ἐθελοντὴς ἐθανατώ-
θη, (ἑκασίᾳ γὰρ ψυχῆς πρὸς ἃ ἔπρα-
τεν ἐδεῖτο,) ἐτίμησεν· ὡς καὶ πόλιν
ἐν τῷ χωρίῳ, ἐν ᾧ τοῦτ' ἔπαθε, συνοι-
κίζαι, καὶ ὀνομάζαι ἀπ' αὐτοῦ· καὶ ἐκεί-
νε ἀδριάντας ἐν πάσῃ, ὡς εἰπεῖν, τῇ
οἰκουμένῃ, μᾶλλον δὲ ἀγάλματα, ἀνέ-
θηκε. καὶ τέλος ἀστέρα τινὰ αὐτός τε
ὁρᾶν ὡς δ' Ἀντινόου ὄντα ἔλεγε, καὶ τῶν
συνόντων αὐτῷ μυθολογούντων ἡδέως ἤκου-
εν, ἔκ τε τῆς ψυχῆς δ' Ἀντινόου ὄντως
τὸν ἀστέρα γεγενῆσθαι, καὶ τότε πρῶτον
ἀναπεφηνέναι. διὰ ταῦτα μὴν ἔν ἐσκώ-
πλετο. Hoc est, *Guilielmo Xylandro* & *Joanne Leunclavio* interpretibus: *In Ægypto quoque Imp. Hadrianus Civitatem* (1) *instauravit Antinoi nomine. Erat autem Antinous ortus Bithynio, Civitate Bithyniæ, quam etiam Claudiopolim appellamus. Hic Antinous, cum in* (2) *deliciis ejus fuisset, in Ægypto mortuus est, sive quod in Nilum ceciderit, ut ipse*

A *Hadrianus scribit, sive quod immolatus, idque verum est, fuerit. Nam cum Hadrianus maxime curiosus esset, ut supra dixi, tum vero divinationibus quoque utebatur & magicis artibus cujusvis generis. Itaque Antinoum, qui vel ob amorem ipsius, vel ob aliam causam voluntariam mortem obierat, (nam Hadriano ad ea, quæ parabat, opus erat anima voluntaria) tanto honore affecit, ut Vrbem in eo loco, in quo ille obiisset, colonis adductis conditam, ex eo nominari voluerit, statuasque ei, vel potius simulacra, in omni fere Orbe terrarum dedicaverit. Denique tum ipse quoddam se videre sidus ajebat velut Antinoi, tum familiares idem fabulose fingentes libenter audiebat; quasi scilicet ex Antinoi anima vere sidus istud exortum esset, ac tunc primum apparuisset. Sed Hadrianus hanc ob causam irridebatur.* Hæc *Joannes Xiphilinus* ex *Dione Cassio. Tertius* de eodem *Antinoo* insignis locus extat apud *Ælium Spartianum* in Vita Imp. Hadriani cap. 14. his verbis: *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit, quem muliebriter flevit. De quo varia fama est, aliis eum devotum pro Hadriano*

que scribunt, Antinoum ortum esse ex Cethnide Bithyniæ Vrbe, quam alias Claudiopolim vocant. *Scribere enim debuissent eum* ortum esse ex Bithynidis Vrbe Bythynio, quæ alias etiam appellata fuit Claudiopolis. *Vox igitur* Bithynis *initio perperam mutata est in* Cithynis, *& postea multo etiam mendosius in* Cethnis.

(1) *Vide supra pag. 381.*

(2) Pæderastiam *hanc sive Sodomiticum* Imp. Hadriani *amorem erga* Antinoum *passim exagitant Sancti Patres in Scriptis contra Gentiles, tum vero imprimis* Prudentius *lib. 1. contra Symmachum elegantissime his versibus*: Quid loquar ANTINOVM cœlesti sede locatum. Illum Delicias nunc Divi Principis? illum Purpureo in gremio spoliatum sorte virili, Hadrianique Dei Ganymedem, non cyathos Diis Prodere, sed medio recubantem cum Jove fulcro? Nectaris Ambrosii sacrum potare Lyæum, Cumque suo in Templis vota exaudire marito? *Vide etiam V. CL.* Joannis Tristani *Commentarios Historicos de Vitis Imperatorum Romanorum, Numismatibus antiquis illustratos, & Parisiis An. 1644. in folio gallice editos, Tomo secundo a pag. 540. usque ad pag. 553. ubi de* Antinoo *prolixe agitur.*

no afferentibus; aliis, quod & forma ejus oſtentat, & nimia voluptas Hadriani, negantibus. Et Græci quidem volente Hadriano eum conſecraverunt, oracula per eum dari aſſerentes, quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe jactatur. Fuit enim poëmatum & literarum omnium ſtudioſiſſimus. Hucuſque *Ælius Spartianus.* Coronidis denique ſeu mantiſſæ loco facienda quoque hic eſt mentio antiqui cujuſdam & hactenus *inediti* Numiſmatis Græci, in honorem ejuſdem *Antinoi* a *Smyrnæis* & *Perynthiis* cuſi, quod celeberrimus Antiquarius *Jacobus de Strada* in autographis ſuis veterum Numiſmatum Voluminibus, quæ (1) in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* adſervantur, deſcribit & explicat his verbis:

In una parte.

Antinous juvenis vultu decoro & venuſto videtur; criſpis capillis, pectore tenus nudus, nullo ornatu, ſiniſtrorſum intentis oculis. Circa ipſum eſt Inſcriptio ejuſmodi:

ANTINOOC. OCTIAIOC. MAPKEΛΛOC. OIEPETOTOI.

In altera parte.

Duæ effigies, adoleſcentis & mulieris, repræſentantur; quæ ſe manibus tenent, quaſi ſtipulata manu fœdus vel amicitiam facientes. Utraque effigies coronam turritam geſtat in capite: qua re ſignificari duas Civitates hac figura monemur. Adoleſcens autem ſatis decora & ſpecioſa facie, turrita corona, ut dixi, in capite ornatus eſt, ſiniſtrorſum verſus mulierem intuetur, tunica ſuccincta ſupra genua indutus, læva manu bipennem acuminatam in humero ſiniſtro jacentem tenet, dextra porrecta mulieris manum complectitur; ocreis militaribus pedes ornatos habet; dextro pedi roſtrum navis adhæret. Per adoleſcentem Civitas Smyrnenſium ſignificatur, quod literæ ipſi a tergo duplici linea ſculptæ indicant, quæ ita ſonant: ΣMΥPNAIΩN. *Altera effigies, quam mulieris diximus eſſe, ſic ſe habet. Mulier veneuſtiſſimam faciem & juvenilem admodum habet; tunicata & patagiata eſt, patagiique ora collecta in lævo cubitu; ipſum caput corona turrita ambit; dextrorſum inſpicit adoleſcentem, cujus manum dexteram ſua dextera porrecta tenet; ſiniſtra temonem ſive gubernaculum navis tenet, & pedi dextro quoque navis roſtrum imminet. Monemur autem hanc figuram ſignificare Civitatem Perinthum, quod & literæ a tergo mulieris ſculptæ teſtantur* ΠEPINΘH. *Inter utriuſque capita leguntur hæ literæ* OMONOIA, *tribus in lineis ſculptæ, quarum primam occupant hæ literæ* OMON, *alteram* OI, *& infimam litera unica* A. *Sub pedibus duæ literarum lineæ leguntur: in priori* EΠ. MENEKA, *in inferiori* EΘTΣ. Hæc *Jacobus de Strada.* Vbi notandum eſt, *duas* illas ab ipſo exhibitas Numiſmatis iſtius *Inſcriptiones Græcas* valde mendoſas eſſe, & reformare deberi ac legi hoc modo:

'ANTI'NOOΣ, O'ΣTI'AIOΣ MA'PKEΛΛOΣ

(1) 'O

(1) *Vide librum primum horum Commentariorum pag. 165. & 169.*

(1) Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΥΤΟΥ.
ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΠΕΡΙΝ.
ΘΙΩΝ ΕΠΙ ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ.

hoc est:

ANTINOVS. (2) HOSTILIVS MARCELLVS SACERDOS EIVS.
CONCORDIA SMYRNÆORVM ET PERINTHIORVM SVB MENECRATE.

Ipsum igitur illud *Numisma emendatum* ita se habet, uti ex apographo sive exemplari ejus æri inciso & e B regione hujus paginæ inserto, videre est (3). Et hæc quidem hactenus sufficiant de celeberrima illa antiqua *Statua ænea Saltzburgensi;* quam cum, ut (4) supra narravi, die XXIII. Septembris, quo S. CÆSAREA MAIESTAS *Castrum Juvaviense*, vulgo nunc *Hohen-Saltzburg* dictum, ante meridiem invisit, summo desiderio ibi quæsiviſſem, nihil præter *armarium vacuum* reperi. Postmeridianum ejusdem diei tempus impendit CÆSAR perlustrationi peramœni & sumptuosi *Palatii ac Viridarii Hellbrunnensis*, unius circiter horæ spatio ab Vrbe diſſiti, & ab Archiepiscopo Saltzburgensi (5) *Marco Sitico* intra quindecim duntaxat menses incredibili celeritate exædificati: principio autem noctis rediit in Vrbem sub disploſione tormentorum bellicorum, & in Ecclesia Metropolitana Officio vespertino, ob crastinum *S. Ruperti Festum* summo cum splendore ac pompa celebrato, debita pietate interfuit. Longe etiam majori solennitate & sanctimonia maxima sequentis diei *vigesimi quarti* Septembris pars C transacta est; & ne qua etiam alterius generis deesset recreatio, repræsentata est in (6) *Theatro Academico* sub dispositione Dominorum *Professorum* ex sacro Ordine *Benedictino* elegantissima Comœdia, cujus titulus & argumentum:

PAX
CONCILIANTE AVGVSTISSIMO IMPERATORE
LEOPOLDO AVSTRIACO
TELLVRI RESTITVTA.

(1) *Veritatem hujus emendationis meæ confirmat aliud quoddam Numisma Græcum, in honorem ejusdem* Antinoi *a* Corinthiis *cusum, quod extat apud* Adolphum Occonem *cum hac Inscriptione* OCTIAIOC MAPKEΛΛOC O IEPPYC TOY ANTINOOY. KOPINΘIΩN. *Hoc est* Hostilius Marcellus Sacerdos Antinoi Corinthiorum. (A)

(2) *De amplitudine & celebritate* Hostiliæ Gentis *vide* Fulvii Vrsini *Numismata Familiarum Romanarum, ut &* Joan. Glandorpii *Onomasticon Romanum &* Jani Gruteri *Syntagma Inscriptionum antiquarum.* Pro-

(3) *Huc pertinet apographum sive exemplar hactenus inediti Numismatis Græci, in* Antinoi *honorem cusi a* Smyrnæis & Perinthiis.

(4) *Vide supra pag. 376. 377. & 378.*

(5) *Electus est is Archiepiscopus A. C. 1612. obiit autem A. 1619.*

(A) *Emendationem hanc nullius frugis esse erudite ostendit Cl.* TENZELIUS *in Colloquiis mensruis ad An. 1691. pag. 878. & seqq.*




ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ·ΟΣ ΤΙΛΙΟΣ·ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ·Ο·ΙΕΡΕΥΣ ΑΥΤΟΥ.


ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΠΙΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ.



Proximi diei *vigesimi quinti* Septembris perjucundum oblectamentum fuit contemplatio spectatu dignissimi *Equilis Rissensis* inter *Saltzburgum* & (1) *Halulam;* ut & admirandæ *Cellæ Vinariæ Kaltenhausensis*, in eodem tractu sitæ, cujus *Elogium* continetur hac ibidem extante Inscriptione marmorea:

SALVVM TE HOSPES IVBET
LOCI GENIVS ET HOSPITALIS DEVS.
SI CALES AVT FRIGES PLVSCVLVM,
HIC ÆSTATES HYEMANT,
VT VNO CALERE ET FRIGERE POSSIS CALICE.
DENIQVE HANC CELLAM COELVM PVTA;
NAM NECTAR IMPLVIT TOTIS CADIS,
ET NEMO SOLVIT SYMBOLAM
TV SALVTEM LIBA, GRATVS AVTHORI,
QVI NATVRÆ DONVM ÆSTIMANS,
ARTE IVVIT,
ATQVE, VT LOQVERENTVR LAPIDES,
IN HANC LIQVIDISSIMÆ ECHVS
FACVNDIAM EXCAVAVIT
GVIDOBALDVS
ARCHIEP. ET PRINCEPS SALISBVRG.
EX COMIT. DE THVN.

Initio noctis subsequentis publice exhibitum est *Spectaculum* (2) *Pirotechnicum*, partim in Insula aliqua fluminis *Juvavi* sive *Saltzæ*, partim autem in vicino monte, vulgo dicto *der Münchberg*, ingentibus impensis magnificentissime adornatum, quod plus quam integras duas duravit horas, nec minorem admirationis, quam lætitiæ causam spectantibus præbuit. Cum itaque CÆSAR inter jam memoratas aliasque varias delectationes usque ad diem *vigesimum sextum* Septembris *Saltzburgi* substitisset, nec continuatio *Itineris Oeni-pontani* ulteriorem pateretur moram, discessit IS inde sequenti die *vigesimo septimo* Septembris post prandium, & quidem tempestate æque pluviosa, quam in introitu. Nocte proxima quievit in *Reichenhalla*, Oppido Ducatus Bavariæ Superioris, ditissimis *Salinis*, unde & nomen habet, celeberrimo: ibidemque postridie, nempe die *vigesimo octavo* Septembris, qui (3) *S. Wenceslao* Duci Bohemiæ & Martyri erat dicatus, matutino tempore Rei Divinæ vacavit. Sumpto deinde prandio, perrexit per spatium quinque hora-

(1) *Vulgo* Hällein: *Oppidum duobus milliaribus germanicis supra* Saltzburgum *ad fluvium* Juvavum *sive* Saltzam *situm, ubi magna* Salis *copia, per canales seu tubos e vicinio monte* Dürnberg *eo derivata, coquitur.*

(2) *Germanice ein* Feuer-Werck *sive* Kunst-Feuer.

(3) *Vide Martyrolog. Rom. d. 28. Sept. & ibidem Card. Baronii Notas.*

horarum sub ingenti & continua pluvia ad ultimum Archiepiscopatus Saltzburgensis Vicum *Lofer*, ubi mane sequentis diei *vigesimi noni* Septembris, qui *S. Michaëli* erat sacer, Celsissimo Reverendissimoque Archiepiscopo, qui IPSVM hucusque comitatus erat, clementissima gratiarum actione pro omni humanitate ac beneficentia valedixit; nec multo post ex ditione *Saltzburgensi* transiit in *Comitatum Teriolensem*: (1) *qui licet Alpibus inclusus, & per ipsa Rhætica juga extentus sit, fructuum tamen rerumque ad vitam humanam necessariarum, nec non auri, argenti, metallorumque omnis generis optimorum copia tam locuples ac dives est, ut eum aptissime & admodum facete Imp. Maximilianus I. rudem & agrestem rustici tunicam appellare consueverit, multis quidem plicis & rugis horridam ac deformem, valde nihilominus bonam, calidam ac commodam. E montium enim visceribus ingentes hauriuntur metallorum thesauri; cacumina vastis sylvis, ferarumque multitudine plena sunt; colles & clivi frugibus ac vineis; valles fluminum ac fontium aquis irriguæ, armentis & pecoribus refertæ sunt, nec minus pabulo, quam lacus & stagna inter montes spacioßissima variis & optimis piscibus abundant. Itaque Comitatus iste non solum Ducatui, verum etiam Regno divitiis potest æquiparari.* Inopinatum de cætero fuit supra memorato die *vigesimo nono* Septembris spectaculum, videre *Noricarum* & *Rhæticarum Alpium*, in *Saltzburgensi* & *Teriolensi* confinio permixtarum, vertices & convalles, totamque, qua transeundum erat, viam præmatura noctis præcedentis nive adeo obrutam, ut nec folii nec graminis viridis ullum fere superesset indicium. Sic igitur perventum est circa meridiem ad Pagum *Watring* vel *Waitering*, ubi prandii causa subsistere placuit: eoque mature finito, properatum porro est ad Pagum *S. Joannis*, mansioni proxime noctis destinatum, atque tunc temporis valde celebrem propter *puellam* ætatis circiter viginti quinque annorum, admirando hoc per aliquot jam annos laborantem *affectu*, ut omnibus diebus *Veneris* & *Saturni continue*, reliquis autem diebus *alternatim & per intervalla*, omnis sensus expers toto corpore obrigeret, oculisque apertis & cum leni tantum aliquo motu convulsivo in eodem jaceret situ quasi quædam statua, adeo ut ne acu quidem puncta dolorem perciperet, nec brachia ab aliis elevata sponte sua labarent, sed monstroso rigore in eadem positura firme & stabiliter permanerent. Vidi ego illam eadem adhuc vespera, nec multo post ad S. CÆSAREAM MAIESTATEM ante cœnam clementissime accersitus, debita fide indicavi, quo in statu ipsam reperissem, & quid propria mater de ea narrasset; de cætero autem dixi me (2) ἐπέχειν, &, utrum *affectus* iste esset *supernaturalis* quædam *ecstasis* vel *veneficio illatum fascinum*, an vero

(1) *Notabile hoc Comitatus Teriolensis elogium extat in Stephani Vinandi Pighii Hercule Prodicio pag. 222.*

(2) Ἐπέχειν *verbum est Philosophicum Sectæ Pyrrhonianæ sive Scepticæ, quo significatur, nec negare quidquam nec affirmare, sed suspenso judicio rem in medio relinquere.*

vero *mere naturalis catalepsis*, discep- A tandum ac dijudicandum me relinquere doctissimis experientissimisque S. MAIESTATIS SVÆ Medicis Cubicularibus Dn. (1) *Rumoldo von der Burg*, Dn. *Christiano Rechbergero*, & Dn. *Antonio de Pozzis*, qui eandem puellam una mecum spectassent, quibusque de hujusmodi rebus ad professionem suam pertinentibus maxime oporteret cre- B dere. Feci tamen obiter mentionem nonnullorum librorum, qui illustrando huic argumento possent inservire; inter quos, quantum etiam nunc recordor, præ cæteris fuere *Leonardi Vairi* Beneventani, Ordinis S. Benedicti Canonici Regularis ac Sacræ Theologiæ Doctoris Libri tres de *Fascino*, Parisiis apud Nicolaum Chesneau anno 1583. in C quarto editi, in quibus omnes *Fascini* species & causæ optima methodo describuntur, & ex Philosophorum ac Theologorum sententiis scite & eleganter explicantur, nec non contra præstigias, imposturas, illusionesque dæmonum cautiones & amuleta præscribuntur, ac denique nugæ, quæ de iisdem narrari solent, dilucide confutantur. Item *Fortunii Liceti* Genuensis, Philosophi & Medici in Academiis Pisana atque Patavina celeberrimi, Libri quatuor *De his, qui diu vivunt sine alimento*, Patavii apud Petrum Bertellium an. 1612. in folio editi, in quibus diuturnæ *Inediæ* observationes, opiniones & causæ summa cum diligen- A tia explicantur, ac opportune de alimento, de alendi functione, de nutriendo corpore, de fama, de siti, de calore nativo, de humido radicali, de temperamento, de excrementorum usu, de colliquamentis, de metalli, veneni, medicamenti, misti, ac elementi cujuslibet habitudine ad alendum corpus, de ecstasi, de siderum, dæmonum B & consuetudinis viribus in Inedia, de proprietatibus occultis, & de quamplurimis aliis scitu digniſſimis exactissime differitur: ac demum *Hieronymi Jordani* Brunsvicensis, Medicinæ Doctoris & Physici Göttingensis Liber singularis περὶ ϑ' Θείου, sive *De eo, quod Divinum aut Supernaturale est in morbis humani corporis ejusque curatione*, Francofur- C ti ad Mœnum impensis Joan. Godofredi Schönwetteri anno 1651 in quarto editus, & in *septuaginta quinque Capita* divisus, quorum *Indicem* certas ob causas hic subjungo. I. *Thema & occasio libelli.* II. *Dari morbos supernaturales experientia probatur.* III. *Idem certa ratione probatur.* IV. *Quid sit Hippocratis* Θεῖον *ostenditur, examinatis variis de illo Me-* D *dicorum sententiis.* V. *De Magia utraque & de imaginatione, ac Cabala generalia quædam.* VI. *De imaginatione denuo agitur, non esse ab illa morbos divinos.* VII. *Differentiæ variæ morborum divinorum.* VIII. *Quid dæmon possit in corpus humanum inquiritur.* IX. *Quid possit in animam dæmon, ostenditur: ubi de*

(1) Joan. Gorræus, *celeberrimus Medicus Parisiensis, Definitionum suarum Medicarum libro decimo* Catalepsin *ait esse affectum cerebri, provenientem a vehementi refrigeratione cum quadam siccitate, quo prehensus æger repente in illo permanet habitu, in quo correptus est: unde & ἀπὸ τῦ καταλαμβάνειν* Κατάληψις *dicitur.*

(2) *Obiit is Vindobonæ A. 1668. d. 27. Octobr.*

phantasia, memoria, intellectu & voluntate; simul de prædictionibus & astrologia judiciaria. X. *De eo, quod non potest dæmon.* XI. *De præstigiis dæmonum; eaque occasione de veris miraculis & magis Ægyptiis.* XII. *De maleficio, sagis & venenariis.* XIII. *De fascino.* XIV. *De intemperie, conformatione & solutione continui pauca quædam.* XV. *De insectis capitis, sibilo, motu, frigore, æstu; de canitie, pilis & aliis.* XVI. *De somnis & insomniis.* XVII. *De ecstasi, raptu, prophetia, visionibus & divinationibus.* XVIII. *De apparitionibus spirituum veris & præstigiosis.* XIX. *De apparitionibus animarum seorsim.* XX. *De somnambulis, levitate & gravitate corporum, ac vigiliis præternaturalibus.* XXI. *De melancholia, enthusiasmo & variis deliriis.* XXII. *De linguis ignotis, Poëtarum oestro divino, & aliis admirandis.* XXIII. *De amore insano & philtris; simul de maleficio odii & oblivionis.* XXIV. *De metamorphosi in bruta, Lycanthropia, & sagarum translatione.* XXV. *De paralysi, convulsione, rigore, tremore & vertigine.* XXVI. *De apoplexia, epilepsia & anæsthesia.* XXVII. *De oculis, cœcitate & lacrymis.* XXVIII. *De surdis, mutis, gustu, olfactu & linguæ ac loquelæ admirandis.* XXIX. *De collo, ore, gutture, corde, macie & febribus.* XXX. *De singultu, stomachi dolore, & divino ac præstigioso vomitu.* XXXI. *De ingluvie & abstinentia partim vera, partim præstigiosa.* XXXII. *De doloribus abdominis, intestinis, dejectionibus & mictionibus.* XXXIII. *De ligatura, pudendis, abortu & aliis.* XXXIV. *De lactis subtractione, sexus mutatione, suffocationibus, præstigiis & vagitu uterinis: simul de monstrosis partibus, succubis & incubis.* XXXV. *De vaga arthritide, percussionibus dæmonum, sagittariis, assasinio, cultro & globo textorio in latere & sura repertis: de lepra & ulcusculis dæmoniacis.* XXXVI. *De vibicibus & vermiculante dolore a spectro illatis: de pictis corporibus & hæmorrhagia.* XXXVII. *De sudore sanguineo & aliis affinibus.* XXXVIII. *De peste.* XXXIX. *De obsessis.* XL. *De raptu a dæmone, Strigibus & repentina exanimatione.* XLI. *De vitæ termino,* XLII. *De nonnullis circa cadavera humana.* XLIII. *Quot modis quibusve instrumentis morbi a veneficio inducantur.* XLIV. *Seorsim de materia philtrorum, succensione ossium olivarum & scopelismo.* XLV. *De signis morborum divinorum, obsessorum cumprimis.* XLVI. *De signis maleficii seorsim, & de notis scientiæ a dæmone infusæ.* XLVII. *De suspectis revelationibus, præsertim fœminarum.* XLVIII. *De virorum delusionibus.* XLIX. *Prognosticum morborum supernaturalium.* L. *De curatione morborum divinorum in genere; simul de clavicula Salomonis ac similibus.* LI. *De magica curatione in genere: præcipue de Oraculis.* LII. *De magicis quibusdam ceremoniis, maxime de curatione per verba seu incantamenta.* LIII. *De curatione per characteres, imagines, annulos, sigilla, pentacula: quid numerus & figura possint.* LIV. *De magicis plantis veterum & plurimis aliis superstitiosis remediis: de vana observantia, astris, dæmonis falla-*

fallacia, & *idololatria*. LV. *De sanctionibus Civilis & Canonici Juris contra magicas curationes, in genere.* LVI. *Quas ob causas non liceat veneficii solutionem a sagis exigere, objectiones quædam doctorum Virorum.* LVII. *De coactione & gradibus dæmonum: simul de Paredris.* LVIII. *Quando liceat sagas aut maleficos in partem curationis trahere? Respondetur etiam ad objectiones capite quinquagesimo sexto motas.* LIX. *Objectiones contra signorum destructionem.* LX. *Licere aliquando signum sanitatis recuperandæ gratia destruere.* LXI. *Diluuntur objectiones contra signorum destructionem antea allatæ: quanta prudentia tamen opus sit in abolendis signis inculcatur.* LXII. *De sacris remediis a maleficis injunctis & beneficiis dæmonum.* LXIII. *De quibusdam adhuc superstitiosis remediis, cum lepido apologo Calcagnini in Magiam.* LXIV. *De naturalibus veneficiorum vel divinorum morborum remediis, in genere, quomodo illa prosint.* LXV. *Enarrantur naturalia remedia; simul etiam dubia quædam & inepta.* LXVI. *De vi Musicæ in morbis divinis, occasione Saulis & Elisæi.* LXVII. *De divina curatione in genere.* LXVIII. *De Exorcismo.* LXIX. *De votivis peregrinationibus, Sanctorum invocatione & Crucis signaculo.* LXX. *De aptissimis Diaboli instrumentis, & quibus maxime vitiis sit renunciandum.* LXXI. *De fide viva, Baptismo, S. Eucharistia, precibus, caritatis operibus, & aliis, cum debortatione a superstitiosis remediis ad patientiam.* LXXII. *De nocturni terroris & philtrorum remediis seorsim.* LXXIII. *De ligatura & strigibus avertendis.* LXXIV. *De præservatione.* LXXV. *Mortis consideratio.* Hucusque Index Capitum supra memorati Libri *Hieronymi Jordani* περὶ θεῖα, sive *De eo, quod Divinum aut supernaturale est in morbis humani corporis:* cujus una cum aliis nonnullis ejusdem generis libris apud S. CÆSAREAM MAIESTATEM in Teriolensi Pago *S. Joannis* die *vigesimo nono* Septembris feci mentionem occasione *puellæ* ibidem degentis, cujus admirandum affectum (1) supra paucis exposui. Die *trigesimo* Septembris prandit CÆSAR in Pago *Söll* vel *Sill*, proximaque nocte in Pago *Wergel* transacta, pervenit sequenti die *primo* Octobris paulo ante meridiem ad Vrbem *Ratenberg*, seu, ut vulgo appellatur, *Ratenburg* vel *Rotenburg*, ubi celeberrima *Vallis Oenana*, seu potius (2) *Ænana*, vulgo *das Inthal* dicta, *Alpibusque Rhæticis* undique septa, incipit. Hanc ergo post prandium ingressus, perrexit (3) *Sebatum* sive *Sevatum*, vulgo nunc dictum *Swatz*, Pagum ditissimis *metallorum* fodinis celeberrimum, nec solum propter magnitudinem suam, sed & ob formam viarum, ac ædificiorum pulchritudinem, populique frequentiam conspicuis quibusque Vrbibus summo jure annumerandum. A quo cum duo circiter millia passuum abesset, obviam habuit elegantissimum

Ar-

(1) *Vide supra pag. 408.*

(2) *Vide* Phil. Cluverii *caput ultimum Chorographiæ Vindeliciæ & Norici.*

(3) *Vide* Antonini *Itinerarium* & Wolfg. Lazii *Commentar. de Rep. Rom. lib. 12. sect. 6. cap. 6.*

Arcum triumphalem, omnigeno *metallicæ artis* ſpecimine mirifice exornatum; juxta quem a (1) *Metallicis* plus minus mille & ducentis candide omnibus veſtitis, humillima gratulatione exceptus eſt. Præcipua A jam memorati *Arcus Inſcriptio* deſumpta fuit ex *Deuteronomii* capite *octavo*, (2) ubi *Moyſes* Populo Iſraëlitico introductionem in Terram Sanctam promittit his verbis:

Dominus DEVS tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum: aquarumque & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluviorum abyſſi: terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & malogranata & oliveta naſcuntur: terram olei ac mellis; ubi abſque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris:
CVIVS LAPIDES FERRVM SVNT, ET DE MONTIBVS EIVS ÆRIS METALLA FODIVNTVR:
ut cum comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino DEO tuo pro Terra optima, quam dedit tibi.

Intravit deinde CÆSAR ipſum *Sebatum*, proximæ commorationi nocturnæ aſſignatum, ubi a Magiſtratu & Civibus armatis honorificentiſſima pompa exceptus; debitaque veneratione & cultu obſequioſiſſime tractatus eſt. Cæterum quod ad originem *Metallorum Sebatenſium* ſive *Swatzenſium* attinet, inventa ea ſunt A. C. 1448. ſub Archiduce *Sigiſmundo*, hanc ob rem cognominato *Opulento*, tantaque eorum ſuperiori ſeculo fuit ubertas, ut anno 1560. *triginta* fere *millia operariorum* quotidie in iis laboraverint. Quocirca operæ pretium me facturum arbitror, ſi luculentam illam & perelegantem eorum hic inſeruero deſcriptionem, quæ extat in *Stephani Vinandi Pighii Hercule Prodicio*, (3) ubi *Caroli Friderici* Ducis Cliviæ, Juliæ & Montium in iis anno C 1574. perluſtrandis curioſitatem & diligentiam prædicat & enarrat his verbis: *Ante diem ſeptimum Kalendarum Octobris paulo poſt meridiem appulit Princeps Carolus Fridericus Suatium, ubi antra Cyclopum & metalorum fodinæ multæ viſuntur. Pagus eſt magnus, forma viarum & ædificiorum pulchritudine, populique frequentia cuivis Oppido celebri comparandus. Advenientem Magiſtratus amantiſſime excipiunt, adventum gratulantur, & ducunt in Palatium, quod Principis ibi peramplum eſt, omniaque ibidem ad ejus uſum eſſe parata, reipſa demonſtrant. Adeſt mox fodinarum architectus, metallicæ rei peritiſſimus, ſibi mandatum dicens, Principi eſſe præſto, & omnia monſtrare, quæ cuperet, & viſu eſſe digna*

(1) *Per* Mettallicos *hic intelliguntur, qui in metallis operantur, uti apud* Plinium *Hiſt. Natur. lib. 34. cap. 16.*

(2) *Verſ. 7. 8. 9. 10.*

(3) *A pag. 224. uſque ad pag. 228.*

gna sciret. Carolus, ut erat ocreatus, tum cohorte suorum præcipua confestim sequi ductorem, cum plurimum diei adhuc supereſſet, & videndi studio flagrans, nil temporis perdere voluit. Jubet Gimnicus adferri faces ac tædas plures, ne luminis copia in obscuris cryptis deesset. Pergunt extra Pagum ad montium prærupta, ubi multa fodinarum antra a longe visuntur. E quibus quicquid metallici exscindunt, carris evehunt, superfluaque in tumulos egerunt, & veluti montes montibus imponunt; adeo ut videantur vastæ rupes sua viscera evomere, ac sensim novos montes producere. Nec procul inde sunt officinæ, in quibus metalla præparantur ac discernuntur. Mira & valde jucunda ibidem erat consideratio, ut ingenii humani industria, atque ipsa Natura se mutuo juvent: & ut hæc variis machinis coacta servire cogitur, præsertim aëris & aquæ vis fluida & mobilis. Rivi enim ingentes e montibus deducti, per canales & tubos rapido lapsu rotarum magnos ac concavos orbes circumagitant impetu tanto, ut earum quælibet multarum rotarum ac machinarum labyrinthum quendam continuo motu pernicitur volvat, & quatiat cum tanto strepitu, ut in Vulcaniis antris Cyclopum mallei, incudesque majorem non possent reddere. Ostendit primum architectus Principi Carolo varias lapidum ac marmorum species e montium venis excisas, e quibus aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, aliaque diversa metalla possunt expurgari. Monstrat multiplicem eorum mixturam non solum, verum etiam æris atque argenti ramos ac virgulas, quemadmodum in venis reperiuntur. Insuper & aurum, quod coctione haberet opus, donec ab argento fuerit separatum excoctumque, vocant obrizum, cum igneo colore rubet & resplendet, ut Plinius libro XXXIII. cap. III. docet. Aliud item, quod omnino purum & ignis expers esset, ostendit, quod a Græcis ἄπυρον appellatur. Docet deinde purarum venarum fragmina in capsulas conjici, atque præferratis pistillis tundi ab aquaria rota versatis, ac tenui mox cribro secerni, transmeantem pulverem moliri, non transmeantem rursum pistillis subjici atque amplius tundi. Lapides vero grossiores, quibus metalla sunt mixta, primum malleis minui, lavari in lacumulis, ac palis agitari in alveo, cribrari ac demum moliri. Et hæc omnia, priusquam materia metallica per fornacem excoquatur, confleturque. Ducitur deinde Princeps Carolus ad conflatoriam officinam, ubi metalla in fornacibus excoquunt, liquefaciunt, argentumque ab ære, cuprove secernunt. Folles ingentes aquaria rota sublevati assiduo flatu, continuoque motu magno cum fragore flammas in fornacibus excitant; adsunt operarii, qui metalla superius injiciunt, & alii, qui resolutum & a contusis saxis separatum ex inferiore fundo magnis cochlearibus exhauriunt, & in modulos transfundunt. His omnibus non sine admiratione perlustratis, transeunt in vicinum hypocaustum Carolus Princeps, Gimnicus, Pighius, aliique ex cohorte Nobilium, induunturque canabinis tunicis, cinguntur pellibus a tergo sedem tegentibus, & capita cucullis muniunt, ne conspurcarentur

ſtillicidiis per fiſſuras montium in fodinas continue defluentibus. Ridiculus videbatur eſſe Paniſcorum aut Satyrorum chorus, qui jam

Mollibus in pratis unctos ſaliere
per utres,

ut Mantuani poëtæ verbis elegantiſſimis dicam. Ante fodinarum oſtium expectabant operarii plures, habentes vehicula lignea truſilia, quatuor in ferreis rotulis currentia, quibus ſingulos excipiunt, atque prælucentibus tædis per montis trabibus ſuſpenſi cavernas & cuniculos vehunt ad tria fere millia paſſuum, priuſquam pervenirent ad puteos, & ad aquarias machinas. Strepitus ingens aquarum ſub trabibus per obſcuros meatus labentium horrorem ſæpius incutiebat. Magna etenim aquarum vis per montium fiſſuras frequenter influit in fodinas atque puteos, quibus opera impediuntur metallica, operariique etiam aliquando ſubmerguntur. Quapropter ingens & ſine ulla intermiſſione labor eſt adhibendus ad exhauriendum aquam continue per meatus varios exundantem. Eademque neceſſitas varia inſtrumenta & machinas excogitavit, quibus e maxima profunditate puteorum, qui nonnunquam ad quadringentas orgyas excavantur, affluentes undas egerant. Cochleis ab Archimede primum inventis ad aquas divertendas & in altum ejiciendas uſa fuit olim Ægyptus, teſte Diodoro: ſic nunc etiam incredibiles fiunt in hunc finem impenſæ, inæſtimabiles exantlantur labores. Sed viſu imprimis digna fuit machina aquaria, quæ ſua facilitate ſuperat omnes ejus generis fabricas, vel a veteribus, vel noſtro ſeculo inventas. Rotæ binæ, quas bigales appellant, cylindrum medium volvunt ac revolvunt huc illuc alternatim contrario aquarum fluxu impulſæ, quarum rivi diverſi per canales ac tubos in rotarum alas lacunatas ex alto ducuntur. In cylindro groſſo catena bis terve, quaterve circumvoluta duos culeos magnos in æquilibrio inter ſemicirculares anſas ferreas, quo facilius effundantur, ſuſpenſos, in diverſum perpetuo motu trahit. Quorum quilibet ex tribus pellibus bubalis unctis ac recentibus conſutus, & ferreis circulis in formam trochi turbinatam extentus eſt, in eam amplitudinem, ut dolia liquoris fere ſex aut ſeptem capiat. Trahit, inquam, in diverſum culeos perpetuo motu catena, plenum alterum, & effuſum ſimul reducens in profundum, prout cylindri rotundum corpus ab una parte catenam erigens, ab altera demittens, alternatim volvitur. Atque ea proportione, ut dum effuſus ad putei fundum veniens, culeus aquam haurit, alter extractus extra puteum ſuam effundat. Adſunt utrinque prope rotas duo lacus lignei perampli, plurium doliorum capaces, quibus adſtant ſemper operarii duo, qui culeos, rotas, & fluentes ex adverſis partibus aquæ ductuum rivos obſervant, opus ſuis quiſque vicibus alternantes. Dum enim hic in dextro putei latere culeum exurgentem excipit, ejus labrum applicat unco ferreo e fronte lacus prominente, ſimulque rivos aquæ ductus vicini ad rotam vertit, in canali tabulam aquis objectam ſemovens, interim culeus unco implicitus invertitur, & ſuum onus aquarum effundit in lacum, exinde per canalem magno cum impetu in rotam

tam currentium, quæ per alios ductus eas extra fodinas ejicit. Et ejus interim socius a sinistris alteram rotam aquæ ductus sui contrario fluxu, canalem tabula obturans, liberat, ut eadem mox vacua gyrum invertens alteram aquis onustam sequatur. Atque hæc sedulo curanda sunt apprime, ut simul hi duo semper laborent, & vicissim alternent opera contraria, ut dum unus a dexteris aperit rivos, & rotam suam aquis onerat, alter a sinistris claudat, & suam evacuet: ac e contra, dum hic rursus aperit, ille claudat. Quo fit, ut una rota laboret, altera sequatur, unus culeus effundat, alter in fundo putei eodem momento hauriat. Alioquin contingeret, ut contrariis aquarum fluxibus simul impulsæ rotæ non solum sisterentur, sed etiam confringerentur. Verum hac vicissitudine diligenter observata, movetur machina tanta cum celeritate, ut interdum igneæ scintillæ ex madidis lignis excutiantur, & quatuor duntaxat manus mira cum facilitate montis totius concavitates, vicinosque puteos, in quibus lapicidæ operantur, exsiccent, rapidos fluviorum instar torrentes, e rotarum canalibus evolvant nocte dieque. Qui mox per cuniculum subtus ejus tabulata, aliosque meatus cæco murmure defluunt extra montem in proximas valles. His visis monstrat fodinarum architectus profundissimos puteos, e quibus metallica saxa lapicidæ malleis acutis exscindunt, & qua ratione materiam omnem haustoriis urnis e machina tractoria pendentibus, quam duo in orbem torquent, extrahant, trusilibusque vehiculis per cuniculum evehant. Promptus videbatur Princeps Carolus ad descendendum per funes, uti solent, in puteum unum, ut videret lapicidarum labores, & metallorum venas ac sedes in montium visceribus, sed fodinarum Præfectus dissuasit, dicens aërem illum subterraneum crassum, impurum, & humidum insuetis periculosum esse; immo vix ferre sæpius flammas lucernarum aut facularum: ideoque necesse esse, ne lumina in Plutonis officina extinguantur, neve metallici aëre impuro suffocentur, follibus ac ventilabris in hoc paratis ventos, auraque recentes concitare. His auditis, mutavit Carolus consilium, & cum jam serum esset, vehiculis revectus cum suis extra fodinas ad hospitium suum rediit. Hæc *Stephanus Vinandus Pighius* de fodinis metallicis *Sebatensibus* sive *Swatzensibus*, quemadmodum ipse eas A. C. 1574. cum Principe suo *Carolo Friderico* coram contemplatus est. Cum itaque CÆSAR, ut supra memoravi, noctem illam, quæ *Calendis* Octobris proxime succesſit, *Sebati* transegisset, profectus IS inde est mane sequentis diei *secundi* Octobris, & transgressus deinceps in sinistram *Oeni* sive *Æni* fluminis ripam, pervenit circa meridiem ad Vrbem *Halam*, fertilissimis *Salinis* suis, quarum Libro *primo* horum Commentariorum (1) satis prolixa a me facta est mentio, opulentam simul atque celebrem: in quam licet, itidem ut in aliis supra memoratis præcipuis Vrbibus, solenni Civium armatorum pom-

(1) *Pag. 40. & 41.*

pompa per *Arcus triumphales* introductus sit, longe tamen magnificentior post prandium ejusdem diei secutus est *Introitus in Vrbem Oenipontanam* sub disploſione ingentis numeri magnorum tormentorum bellicorum, in dextra *Oeni* fluminis ripa collocatorum. In principio *Pontis*, mira elegantia exornati, per quem transeundum erat, visebantur *duo* colossææ magnitudinis *Fluvii*, quorum uni adscriptum erat:

LEOPOLDO I. CÆS.
PATRI PATRIÆ
OENVS
TRIBVTARIAS SVBIICIT
VNDAS;

alteri autem:

LEOPOLDO I. CÆS.
PATRI PATRIÆ
ATHESIS
FACVNDA AMOENITAS
SVBSTERNITVR.

In fine ejusdem *Pontis* ad *Portam Vrbis*, instar *Arcus Triumphalis* splendidissime adornatam, hæc legebatur primaria Inscriptio:

LEOPOLDO I.
ROM. IMPERATORI,
HVNG. ET BOHEM. REGI,
TER MAXIMO;
CONSILIO, INDVSTRIA, ARMIS
TER FELICI;
PACATA GERMANIA, DEVICTO
TVRCA, ASSERTA HVNGARIA
TER GLORIOSO;
PATRI PATRIÆ
SE, VRBEM, ANIMOS
D. D.
SENATVS POPVLVSQ. OENIPONTANVS.

A *dextro* autem & *sinistro latere* adscriptum erat:

AMORE ET HONORE.

FIDE ET OBSEQVIO.

A *tentorio* igitur, in *Valle Oenana* speciosissime ornatissimeque erecto, sub quo prima exceptio incredibili magnificentia celebrata est, æquitavit CÆSAR in Vrbem, & sub umbella a Senatoribus Vrbanis portata, interque Cives armatos, per utraque viarum latera ordinatim dispo-

diſpoſitos, recta perrexit ad *Templum Franciſcanorum*, ab *Imp.* (1) *Ferdinando I.* e quadrato ſaxo magnis impenſis conſtructum, & *S. Cruci* dicatum; in cujus medio conſpicuum inprimis eſt *Imp. Maximiliani I. Monumentum*, tam marmorum pretio, quam artificii excellentia eximium & vere auguſtum, cum hac Inſcriptione:

IMPERATORI CÆSARI MAXIMILIANO,
PIO, FELICI, AVGVSTO,
PRINCIPI TVM PACIS, TVM BELLI ARTIBVS
OMNIVM SVÆ ÆTATIS REGVM
LONGE CLARISSIMO:
SVB CVIVS FELICI IMPERIO
INCLYTA GERMANIA, DVLCISSIMA IPSIVS PATRIA,
TAM ARMIS, QVAM LITERARVM STVDIIS,
PLVS QVAM ANTEHAC FLORERE,
CAPVTQVE SVPER ALIAS NATIONES
EXTOLLERE COEPIT:
CVIVS INSIGNIA FACTA TABELLIS INFERIORIBVS,
QVAMVIS SVB COMPENDIO, EXPRESSA
CONSPICIVNTVR:
IMPERATOR CÆSAR FERDINANDVS,
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
AVO PATERNO,
PER QVAM COLENDO AC BENE MERITO,
PIETATIS ATQVE GRATITVDINIS
ERGO POSVIT.
NATVS EST (2) XXII. MARTII, ANNO
DOMINI MCCCCLIX;

(1) *Vide* Steph. Vinandi Pighii *Herculem Prodicium pag. 236. & R. P. Fr.* Felicis Reineccii *Ordin. Min. Reform. & Concionatoris Aulæ Archiducalis Oenipontanæ Librum primum Hiſtoriæ illuſtrium Fœminarum Ordinis S.* Franciſci *Oenponti Anno 1666. germanice in 8vo editæ, cap. 8. pag. 99. & 100. & cap. 10. pag. 149. 150. & 151. ubi prolixe narratur, quomodo hoc* Templum *A. C. 1563.* Imp. Ferdinando I. *ejuſque filio* Maximiliano II. *Rege Romanorum*, & quinque filiabus *præſentibus dicatum ſit.*

(2) *Teſtatur hoc coætaneus Author* Nicolaus Langkmannus *in haćtenus inedita* Hiſtoria *latina MSta* Deſponſationis & Coronationis Imp. Friderici V. & Conjugis ipſius Eleonoræ *his verbis*: Anno Domini 1459. viceſima ſecunda die menſis Martii poſt Meridiem infra quintam & ſextam horas, Domina Imperatrix, & jam Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Regina, in Nova Civitate peperit in lucem filium, quem Reverendiſſimus Dominus Saltzburgenſis Archiepiſcopus baptizavit, & nomen ipſi impoſuit Maximilianus, quem Dominus Deus protegat, cuſtodiat & defendat, eumque magnifice, proſpere & feliciter creſcere concedas. *Idem quoque confirmat* Balthaſar Sartorius Wratislavienſis *in* Nativitatibus *ſive* Thematibus genethliacis Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, Imp. Ferdinando I. *A. 1553. oblatis, quæ extant propria ipſius manu exaratæ in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos* centeſimo ſeptuageſimo quinto. *Corrigendum ergo eſt* Speculum Gloriæ

Au-

OBIIT ANNO DOMINI MDXIX,
(1) XII. MENSIS IANVARII.

Frontiſpicium itaque hujus Templi propter adventum CÆSARIS his pro tempore ornatum erat Inſcriptionibus:

ÆDES S. CRVCIS
AB AVGVSTISSIMO ET INVI
CTISSIMO IMPERATORE
(2) MAXIMILIANO PRIMO
FVNDATA.



CLAVIS TYROLIS

DIC MIHI CVR ÆDEM LEOPOLDE
RECVRRIS AD ISTAM?
SCILICET HIC CLAVEM SVMERE VIS
PATRIÆ.

Intra templum autem *Statuis* illis *æneis viginti octo;* quæ (3) *coloſſeæ* ſive humana ſtatura majores, *habitumque* & *armaturam* antiqui moris cujuſque ſeculi miro artificio ad vivum repræſentantes circa ſupra memoratum *Imp. Maximiliani I. Monumentum* per intercolumnia diſpoſitæ ſunt, gratulationis loco affixæ erant ſingulæ *Salutationum Formulæ*, quas una cum ſingularum *Statuarum* adſcriptis *Titulis* eodem (4) ordine hic exhibeo, quemadmodum tunc temporis deſcriptio earum a Reve-

Auſtriacæ, *Norimbergæ nuper germanice editum, quippe ubi pag. 1367. in eadem Inſcriptione pro* XXII. Martii *perperam impreſſum legitur* XXIII. Martii. *Multo etiam mendoſius in* Nathanis Chytræi *Deliciis variorum in Europa Itinerum, Herbornæ. A. 1594. in 8vo editis, pag. 545. ut & in R. P.* Felicis Reinneccii *ſupra citata Hiſtoria Illuſtrium Fœminarum Ordinis S. Franciſci pag. 110. pro* XXII. Martii *legitur* XXVII. Martii.

(1) *In paulo ante citato* Norimbergenſi Speculo Gloriæ Auſtriacæ, *& in* Calendario *eidem ſubjuncto pag. 1364. 1367. & 1405. refertur* obitus Imp. Maximiliani I. *perperam ad* diem XI. menſis Januarii.

(2) *Immo* Ferdinando I. *ex teſtamento tamen & ſecundum ultimam voluntatem* Imp. Maximiliani I. *Vide ſupra pag. 425. &* Autores *ibidem citatos in margine.*

(3) *Hinc* Steph. Vinandus Pighius *in Hercule ſuo Prodicio pag. 236. eas vocat* decempedales.

(4) *Idem earundem Statuarum ordo extat in ſupra citata R. P.* Felicis Reinneccii *Hiſtoria Illuſtrium Fœminarum Ordinis* S. Franciſci, *capite octavo a pag. 111. uſque ad pag. 124.*

Reverendis Patribus *Franciſcanis*, A ibidem degentibus, perbenigne mecum communicata eſt.

Statua I.

JOHANNA, Ferdinandi V. Arragoniæ Regis Filia, Vxor Philippi Filii Imp. Maximiliani I. & Impp. Caroli V. atque Ferdinandi I. Mater.

SALVE
AVSTRIACARVM VIRTVTVM INCLYTA PROPAGO.

Statua II.

FERDINANDVS Quintus, Arragoniæ Rex.

SALVE
NEPOTVM MEORVM VIVA IMAGO.

Statua III.

KVNEGVNDIS Archiduciſſa, C *Imp. Maximiliani Soror, Vxor Alberti Ducis Bavariæ, quæ poſt mortem Alberti facta eſt Sanctimonialis.*

SALVE
LILIVM INTER SECVLI SPINAS DECORVM.

Statua IV.

MARGARITA, Henrici Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolis Filia.

SALVE
STRENVITATIS MAIORVM TVORVM GLORIOSA MEMORIA.

Statua V.

MARIA, Caroli Ducis Burgundiæ Filia & prima Vxor Imp. Maximiliani I.

SALVE
PROVINCIARVM MEARVM CLEMENTISSIMVM ASTRVM.

Statua VI.

ELISABETHA, Imp. Sigiſmundi Filia & Imp. Alberti II. Vxor.

SALVE
VIRTVTIS INVINCIBILE CASTRVM.

Statua VII.

GODOFRIDVS a Bullione, Dux Lotharingiæ & Rex Jeruſalem.

SALVE
HOSTIS INIMICORVM CRVCIS.

Statua VIII.

ALBERTVS, primus Archidux Auſtriæ & primus Imperator hujus nominis.

SALVE
SPES DOMVS NOSTRÆ.

Statua IX.

FRIDERICVS, Archidux Auſtriæ Erector aurei tecti Oenipontani.

SALVE
CVI LONGE MAIORA DEBENTVR.

Statua X.

LEOPOLDVS, Archidux Auſtriæ, Alberti Sapientis Filius cognomento Probus.

D SALVE
IPSISSIME LEPOLDE.

Statua XI.

CAROLVS, Quintus Imperator.

SALVE
INTER CAROLOS IMPERATOR ET INTER IMPERATORES MAGNE LEO.

Statua XII.

FERDINANDVS I. Imperator.

SAL-

SALVE
PATRIS TVI MAIORVMQVE TVORVM VIRTVTVM HÆRES ET SOLATIVM.
Statua XIII.
FRIDERICVS IV. Imperator.
SALVE
LEOPOLDE, IN QVO MORTVI VIVIMVS.
Statua XIV.
ALBERTVS, Imperator secundus hujus nominis.
SALVE
SANGVINIS NOSTRI ANIMA.
Statua XV.
CLODOVEVS, primus Christianissimus Galliarum Rex.
SALVE
PROTECTOR CHRISTIANITATIS.
Statua XVI.
PHILIPPVS I. Hispaniæ Rex, Imp. Maximiliani I. Filius, Impp. Caroli V. & Ferdinandi I. Pater.
SALVE
FILIORVM MEORVM SVMMA ET COMPENDIVM.
Statua XVII.
RVDOLPHVS primus, Imperator & Austriadum Patriarcha.
SALVE
OPTATVM VIRTVTIS MEÆ PRÆMIVM.
Statua XVIII.
ALBERTVS, Archidux Austriæ cognomento Sapiens.
SALVE
FILI GLORIA PATRIS.
Statua XIX.
THEODORICVS cognomento Amalus, secundus quondam post Odoacrum Italiæ Rex.

A SALVE
FIRMAMENTVM VIRTVTVM.
Statua XX.
ERNESTVS Ferreus, Archidux Austriæ, Imp. Maximiliani I. avus.
SALVE
FORTITVDO STIRPIS NOSTRÆ.
Statua XXI.
B *THEOBERTVS, Comes Provinciæ, Dux Burgundiæ & Comes Habsburgiæ.*
SALVE
SPLENDOR ORBIS.
Statua XXII.
ARTVS seu ARTVRVS Rex Angliæ.
SALVE
TIBI ENIM QVIDQVID
C IN ME LAVDIS EST, OMNE CEDO.
Statua XXIII.
SIGISMVNDVS, Archidux Austriæ & Comes Tyrolis, sub cujus Regimine Mineralia Swatzensia reperta sunt.
SALVE
THESAVRVS PATRIÆ.
Statua XXIV.
D *BLANCA MARIA, Imp. Maximiliani I. secunda Vxor, Joannis Galeatii Sfortiæ, Ducis Mediolanensis Filia formosissima.*
SALVE
ROMANI IMPERII PVPILLA.
Statua XXV.
MARGARITA, Imp. Maximiliani I. Filia.
SALVE
MARGARITA SVA RARITATE PRETIOSA.

Sta-

Statua XXVI.

CYMBVRGIS, Archiducis Erneſti Ferrei Vxor, & Imp. Friderici IV. Mater.

SALVE
ROSA AVSTRIACO SANGVINE PVRPVREA.

Statua XXVII.

CAROLVS, Dux Burgundiæ cognomento Bellator.

SALVE
INTER BELLATORES INVICTISSIME.

Statua XXVIII.

PHILIPPVS Valeſius, Dux Burgundiæ, Caroli Bellatoris Pater.

SALVE
INTER INVICTOS VICTORIOSISSIME.

Hucuſque *Tituli & Salutationes gratulatoriæ* Statuarum viginti octo ænearum Templi Oenipontani *S. Crucis*, & quidem *ordine retrogrado* a dextra manu ſiniſtram verſus, uti ex ſequenti ſchemate videre eſt (*). Quamvis autem magis ſecundum naturam ſit, eaſdem illas Statuas a ſiniſtra manu dextram verſus numerari, ita ut prima ſit Statua *Imp. Alberti II.* ultima autem ſive *vigeſima octava* Regis *Clodovei*, attamen ne ita quidem corrigi poteſt confuſio, quæ in iis collocandis initio commiſſa eſt. Reſpectu enim ætatis illarum Perſonarum, quarum nominibus inſcriptæ ſunt, debuiſſent collocari eo ordine, quem proxime ſubſequens enumeratio una cum ſubjuncto *Schemate* (**) exhibet.

Statua I. alias perperam XV.

CLODOVEVS

Primus Rex Francorum Chriſtianus, qui (1) An. C. 496. a *S. Remigio* Epiſcopo Remenſi *Remis* baptizatus eſt, & An. 511. obiit.

Statua II. alias perperam XIX.

THEDORICVS

cognomine *Amalus*, *Strabo* & *Veronenſis*, germanice *Dietrich von Bern*, ſecundus *Oſtgotthorum* in *Italia* Rex, qui deceſſit (2) anno Chr. 526.

Statua III. alias perperam XXII.

ARTHVRVS

qui a nonnullis etiam (3) *Arcturus* & corrupte *Artus* appellatur, bellicoſiſſimus celeberrimuſque *Britonum Rex*, qui tempore Imp. *Juſtiniani I.* ſive *Magni* contra (4) *Anglos*, *Saxones* & *Jutas*, *Britanniæ* (5) *Majoris* a *Romanis* derelictæ Imperare, *quam geſta ſunt, ut ſupra citatus* Miræus *jam pridem recte obſervavit.*

(1) *Quod ad tempus* Baptiſmi & mortis *Regis* Clodovei *attinet, ſequor hic traditionem illam maxime receptam, quam, ut* Gregorii Turonenſis, Alcimi Aviti, Aimoini *aliorumque ejus generis veterum Autorum teſtimoniis confirmatam, R. P.* Dionyſius Petavius Rationar. *Tempor. Part. 1. lib. 7. cap. 2.* Aubertus Miræus *Auctarii de Script. Eccleſ. cap. 138.* Hadrian. Valeſius *Rerum Francicar. lib. 6. aliique complures doctiſſimi Viri merito præferunt opinioni* Sigeberti Gemblacenſis, *qui in Chronico ſuo refert* Clodoveum *baptizatum eſſe A. C. 499. obiiſſe autem A. 514. Solet enim is omnia* triennii *fere ſpatio* poſterius *narrare, quam geſta ſunt, ut ſupra citatus* Miræus *jam pridem recte obſervavit.*

(2) *Vide Card.* Baron. *Annal. Eccleſiaſt. anno 526. ubi ex* Procopii *libro primo de bello Gothico tragicus Regis* Theodorici *obitus ſatis prolixe narratur.*

(3) *Ita eum vocat* Georgius Buchananus *in Hiſtoria Rerum Scoticarum.*

(4) *Vide* Guilielm. Malmesburienſ. *lib. 1. de Geſtis Regum Anglorum pag. 8. edit. Francofur. Wechel. An. 1601. in fol.*

(5) *Per* Britanniam Majorem *intelligitur hic ea* Inſulæ Britanniæ *pars, quæ nunc* Anglia *dicitur.*

(*) Ordo *confuſus* viginti octo Statuarum ænearum Templi Oenipontani

Chorus & Summum Altare.

S. Crucis.

	2. 1.		28. 27.	
3	Johanna		Philippus Bonus	26
4				25
5				24
6		Imp. Maximiliani I. monumentum cum Statua ipſius ænea genuflexa.		23
7				22
8				21
9				20
10				19
11				18
12				17
13				16
Imp. Albertus II. 14				15 Clodoveus primus Rex Francorum Chriſtianus.

Porta

Frontiſpicii Eccleſiæ.

(**)

Ordo *correctus* viginti octo Statuarum ænearum Templi Oenipontani

Chorus & Summum Altare.

S. Crucis.

12	13. 14.		15. 16.	17
11				18
10				19
9		Imp. Maximiliani I. monumentum cum Statua ipſius ænea genuflexa.		20
8				21
7				22
6				23
5				24
4				25
3				26
2				27
Clodoveus, primus Rex Francorum Chriſtianus. 1				28 Imp. Ferdinandus I.

Porta

Frontiſpicii Eccleſiæ.

perium occasione (1) auxilii *Britonibus* contra *Scotos* & *Pictos* præstiti invadentes, præclara multa eximiæ fortitudinis exempla edidit, & An. Chr. 542. ex vulneribus, quæ sub finem præcedentis anni in prælio acceperat, mortuus est; ut præter antiquos Autores (2) *Galfridum Monumetensem* Historiæ Regum Britanniæ lib. 11. cap. 2. & *Matthæum Westmonasterienſem* in Chronico *Flores Historiarum* inscripto, testantur etiam *Hector Boëthius* Historiæ Scotorum libro nono & *Georgius Buchananus* Rerum Scoticarum libro quinto. Meminit ejusdem *Arthuri Guilielmus* quoque *Malmesburienſis* libro primo Historiæ Anglicanæ, quam usque ad ætatem suam sive annum Christi 1142. perduxit, his verbis: *Hic est bellicosus ille ARTHVRVS, de quo Brittonum nugæ hodieque delirant: dignus plane, quem non fallaces somniarent fabulæ, sed veraces prædicarent historiæ; quippe qui labantem patriam diu sustinuerit, infractasque civium mentes ad bellum acuerit.* Hæc *Guilielmus Malmesburienſis*. Quamvis autem *delirantes* istæ *nugæ* & *fabulæ fallaces*, quibus is veram rerum gestarum Regis Arthuri Historiam contaminatam esse conqueritur, etiam nunc extent in supra citati *Galfridi* sive *Gaufridi Monumetenſis* Historia Regum Britanniæ a capite *decimo nono* libri *octavi*, ubi agitur de ejus *nativitate*, usque ad libri *undecimi* caput *secundum*, quod ejusdem *morte* clauditur, ipse tamen (3) *Galfridus* non finxit eas primus, sed, ut ipse libri *primi* capite *primo* testatur, transtulit tantum *in linguam Latinam ex vetustissimo quodam Britannici sermonis libro, quem a Waltero Oxinfordenſi Archidiacono acceperat.* Cæterum quandoquidem inter alia, quæ de *Arthuro* partim vere, partim fabulose narrantur, valde celebris est *Tabula* ipsius *rotunda*, haud injucundum forsan fuerit, si ea, quæ supra memoratus (4) *Hector Boëthius* absque fabuloso inquinamento de illa literis prodidit, obiter hic inseruero. Ipsa igitur ejus verba (5) sunt hæc: *Satis constat ARTHVRVM vixisse ac oppetiisse mortem Justiniano* (6) *rem tenente Romanam, fuisseque rerum egregie gestarum gloria & amplitudine, non minus quam Britanniæ Reges, qui ante eum vixere, insignem: unde opes & vires Britannis, eo regnante plurimum crevere. Eundem adhæc scribunt pugilum certamine delectatum, Athletas habuisse insigni arte militari familiares, quos, cum epulandum fuerat, vel de negotio*

(1) *Primi* Saxones *venerunt in* Britanniam *ducibus* Hengisto & Horsa *fratribus A. C. 449. acciti a Rege Britonum* Vortigerno *ad propulsandas* Scotorum & Pictorum *incursiones in* Britanniam, *a* Romanis *desertam. Vide* Guilielmi Malmesburienſis *locum paulo ante hic citatum in margine*, & *Venerab.* Bedæ *lib. 1. Hist. Eccles. Gentis Anglorum cap. 15. item* Matthæi Westmonasterienſis *Flores Historiarum A. 449.*

(2) *Vide Analector. Tom. I. pag. 734. &c.*

(3) *Vide* Polydori Vergilii *Historiam Anglicam lib. 1. pag. 17. edit. Basil. A. 1517. in folio.*

(4) *Vide* Gerard. Joann. Voss. *de Histor. Latin. lib. 3. cap. 13.*

(5) *Fol. 163. pag. 2. edit. Paris. An. 1574. in folio.*

(6) Primo *videlicet sive* Magno, *qui cœpit imperare A. C. 527. & A. 565. obiit.*

tio militari consultandum, IN CORONAM, ne quisppiam proximo prælatus videretur sedere jussit. Sessionis locum ROTVNDAM ARTHVRI TABVLAM & nostrates, & Britanni, & cæteræ Nationes vulgo appellitant. Verum non tam pugilum, quam ARTHVRI famam, tametsi dignus fuerit, cujus memoria clara sit ad posteros, circulares atque aniles fabulæ, incertis autoribus de eis confictæ, plurimum videntur maculasse. Hucusque *Hector Boëthius.* Quod restat, corollarii instar hic subjungendum existimo insignem *Matthæi* (1) *Paris* sive *Parisii* locum de *Inventione Sepulchri Regis Arthuri*, quam in Historia Anglicana, ubi de rebus sub Rege *Richardo Primo* gestis agitur, his narrat verbis: *Anno Dominicæ Nativitatis millesimo centesimo nonagesimo primo inventa sunt apud* (2) *Glasconiam ossa famosissimi Regis Britanniæ ARTHVRI, in quodam vetustissimo recondita Sarcophago, circa quod duæ antiquissimæ pyramides stabant erectæ, in quibus literæ erant exaratæ; sed ob nimiam barbariem & deformitatem legi minime potuerunt. Inventa sunt autem hac occasione. Dum enim ibidem effoderunt, ut monachum quendam sepelirent, qui hunc locum sepulturæ vehementi desiderio in vita sua præoptaverat, quoddam reperiunt Sarcofagum, cui crux plumbea superposita fuerat, in qua exaratum erat: HIC IACET INCLYTVS BRITONVM REX ARTHVRVS, IN INSVLA AVALONIS SEPVLTVS. Locus autem ille, paludibus undique inclusus, olim INSVLA* (3) *AVALONIS, id est POMORVM INSVLA est vocatus.* Hæc *Matthæus Paris* sive Parisius de *inventione Sepulchri Regis Arthuri*, quæ (4) A.C. 1191. contigit. Quanta autem magnificentia illud post plus quam integra tria ab inventione ejus secula instauratum & adornatum sit, testatur *Polydorus Vergilius* Historiæ Anglicæ, quam Regi *Henrico Octavo* A. 1533. dedicavit, libro tertio his verbis: *Abhinc paucos annos positum fuit ARTHVRO in Glasconiensi Cœnobio Sepulchrum opere magnificum, quo posteri intelligerent, illum omnibus ornamentis dignum fuisse.* Hæc *Polydorus Vergilius.*

Statua IV. alias perperam XXI.

THEODEBERTVS

Rex *Austrasiæ*, qui (5) A.C. 613. a fratre suo *Theodorico* Rege Burgun-

(1) Paris *est hic cognomentum familiæ. Fuit autem* Matthæus *iste* Paris *patria* Anglus, *professione* monachus *Cœnobii Albanensis congregationis Cluniacensis, & obiit Anno Chr. 1259.*

(2) Glasconia *urbs olim fuit* Angliæ, *in territorio Londinensi Cantuariam versus sita, una cum celeberrimo* Cœnobio; *nunc autem pagus est, & vulgo dicitur* Glassenburg.

(3) Avalo *sive* Afalo *est antiqua vox germanica, significans* pomum; *pro qua nunc dicitur* ein Apfel, *vel dialecto Saxoniæ Inferioris* Appel. Insula *ergo* Avalonis *seu potius* Avalonia *idem est, ac si nunc diceretur* das Apfel-Eyland; *latine* Insula pomifera.

(4) *Vide etiam* Matthæi Westmonasterienſis Flores Historiarum *eodem anno 1191.*

(5) *Vide* Jonam, *autorem coætaneum, capite 30. Vitæ* S. Columbani, Aimoinum *de Gest. Francor. lib. 3. cap. 98.* Fredegarium *cap. 38. & Card.* Baron. *Annal. Ecclesiast. Tom. VIII. An. 613.*

gundiæ apud (1) *Tolbiacum* prælio A victus, in fuga captus, & paulo post jussu aviæ suæ *Brunichildis* occisus est. Cæterum quod attinet ad fictitium ejus filium *Sigibertum* cognomine *Exulem*, quem (2) *Joannes Stabius*, *Jacobus Manlius*, *Joannes Trithemius*, *Hieronymus Gebuillerus*, *Wolfgangus Lazius*, & cæteri, qui *Augustissimæ Domus Habsburgo-Austriacæ Originem*, a B *Pharamundo* primo Francorum Rege derivatam, fabulose confinxerunt & propagarunt, falso ipsi attribuunt, quemque contra omnium veterum (3) *probatorum* Autorum testimonia negativa referunt post *fratrum* suorum & *Patris* sui cædem occulte servatum, in *Francia Orientali* apud cognatos suos latuisse, & post patrui sui Regis *Theodorici* mortem a C Rege Francorum *Lothario II.* Ducatum *Alamanniæ Superioris* sive *Helvetiam* accepisse, nec *Diadema* & cætera Regni Insignia usurpare prohibitum esse, tota hæc de illo *fabula* jampridem a doctissimis Viris (4) *Francisco Guillimanno* libri primi *Habsburgiacorum* capite quarto, & (5) a *Joanne Seifrido* Abbate Zwetalensi libri primi *Arboris Anicianæ* ca- D pite tertio, adeo perspicue & solide refutata est, ut plumbei sit ingenii indicium, si quis tam frivolo figmento ullam amplius fidem habeat.

Statua V. alias perperam VII.

GODEFREDVS

Bullionius, *Lotharingiæ* Dux, & primus *Palæstinæ* sive *Terræ Sanctæ* Rex *Christianus*, qui Vrbem *Hierosolymitanam* cœpit (6) Anno C. 1099. & proxime sequenti an. 1100. die 18. Julii obiit.

Statua VI. alias perperam XVII.

IMP. RVDOLPHVS I.

Comes Habsburgensis, qui unanimi omnium Electorum consensu post magnum illud *schisma*, quod sub *Imp. Friderico II.* cœperat, electus est A. C. 1273. & anno 1291. obiit.

Statua VII. alias perperam VIII.

IMP. ALBERTVS I.

Imp. Rudolphi I. Filius, qui a fratris sui filio *Joanne* ob non mature restitutam hæreditatem occisus est anno Chr. 1308.

Statua VIII. alias perperam XVIII.

ALBERTVS

cognomine *Sapiens* & *Contractus*, *Archidux Austriæ*, *Imp. Alberti I. Filius*, qui obiit A. C. 1358.

Statua IX. alias perperam IV.

MARGARITA

Henrici Ducis Carinthiæ & *Comitis Teriolensis Filia*, cognomine (7) *die Maultasch*, quæ, filio suo *Mainhardo* absque liberis mortuo, *Comitatum Teriolensem* sponte sua cessit *Archiducibus Austriæ* anno 1363. & anno 1366. obiit.

(1) Tolbiacum *seu potius* Tulbiacum *celebris olim fuit Galliæ Belgicæ Vrbs, quam* Tacitus *Histor. lib. 4. cap. 79. testatur sitam fuisse* in finibus Agrippinensium. *Distat ea nunc* Colonia Agrippina *quatuor leucas* Treveros *versus & vulgo corrupte dicitur* Zulich *vel* Zulpich.

(2) *Vide Lib. 1. horum Commentarior. pag. 106. — 109. & Analect. Tom. I. pag. 765. 766.*

(3) Probatorum *inquam* Autorum *non autem* suppositiorum & malæ fidei, *cujusmodi sunt* Joannis Trithemii Wasthaldus, Hunibaldus *atque alii ejusdem farinæ.*

(4) *Vide Analect. Tom. I. pag. 785. in margine.*

(5) *Vide Lib. 1. horum Commentariorum p. 106. 107. 108. & 109. & Analector. Tom. I. pag. 765. 766. & 767.*

(6) *Vide Card.* Baron. *Annal. Ecclesiast. Tom. XI Anno 1099. & Tom. XII. A. 1100.*

(7) *Vide Analect. Tom. I. pag. 824.*

Statua X. quæ etiam alias recte X.

LEOPOLDVS

cognomine (1) PROBVS, *Archidux Auſtriæ*, qui (2) A.C.1386. apud *Sempach* in prælio contra *Helvetios* occubuit.

Statua XI. alias perperam XX.

ERNESTVS

cognomine FERREVS, Archiducis Auſtriæ *Leopoldi Probi Filius*, *Archidux Auſtriæ*, & *Imp. Friderici* B vulgo *Tertii*, revera autem (3) *Quinti*, *pater*, qui (4) anno Chr. 1424. obiit.

Statua XXII. alias perperam XXVI.

CIMBVRGA

Archiducis Auſtriæ *Erneſti Ferrei uxor*, & *Imp. Friderici V. mater*, quæ obiit (5) A.C. 1429.

Statua XIII. alias perperam IX.

FRIDERICVS

Archiducis Auſtriæ *Leopoldi Probi Filius*, *Archidux Auſtriæ*, qui cum (6) *Papam Joannem XXIII. ex Concilio Conſtantienſi*, quo ſub illius fide & verbo venerat, metu ignominioſæ abdicationis aufugientem comitando adjuviſſet, eamque ob cauſam ab *Imp. Sigiſmundo* proſcriptus, & cum a diverſis aliis, tum præcipue ab *Helvetiis* maxima ditionum D ſuarum parte ſpoliatus eſſet, ut tamen oſtenderet, ſe necdum ad tantam redactum eſſe paupertatem, ut, quemadmodum ab inimicis ſuis contumelioſe appellabatur, jure poſſet vocari *Fridericus cum Marſupio va-*

cuo, hoc eſt, *Friederich mit der lären Taſchen*, curavit (7) *Tectum Cancellariæ Aulicæ Oenipontanæ ducentis millibus nummorum aureorum*, qui vulgo *Ducati* dicuntur, ita *inaurari*, ut etiamnunc videre eſt: poſtea autem *Imp. Sigiſmundo* reconciliatus, omnia fere amiſſa bona ſua, exceptis duntaxat iis, quæ *Helvetii* invaſerant, recepit, & tandem A. C. 1439. VII. Kal. Julii ſive die 25. Junii obiit.

Statua XIV. quæ etiam alias recte XIV

IMP. ALBERTVS II.

Imp. Alberti I. abnepos, *Archidux Auſtriæ*, & *per uxorem Eliſabetham Hungariæ & Bohemiæ Rex*, qui unanimi Principum Electorum conſenſu ſucceſſit ſocero ſuo *Imp. Sigiſmundo* in Imperio Romano A. C. C 1438. & proxime ſequenti an. 1439. d. 27. Octobris præmature obiit.

Statua XV. alias perperam VI.

ELISABETHA

Imp. Sigiſmundi Filia, & Regnorum *Hungariæ* atque *Bohemiæ* unica hæres, quæ *Imp. Alberto II.* nupſit A. 1422. ſedecim nempe annis ante ipſius electionem in Imperatorem Romanorum, proximo autem poſt D mortem ejus anno, nempe An. C. 1440. peperit *Ladislaum Poſtumum*, Hungariæ & Bohemiæ Regem, & tandem A. 1443. obiit.

Statua XVI. alias perperam XXVIII.

PHILIPPVS

cognomine BONVS *Joannis Valeſii*

(1) *Veram hujus* cognominis *interpretationem vide Analec. Tom. I. pag. 125.*
(2) *Vide Analec. Tom. I. pag. 120. & p. 824.*
(3) *Vide* Diarium *meum* Sacri Itineris Cellenſis *a pag. 217. uſque ad pag. 259.*
(4) *Vide jam memoratum* Diarium *meum p. 22.*
(5) *Vide idem* Diarium *pag. 22. & 23.*
(6) *Electus is eſt Pontifex Romanus An. 1410. d. 17. May.; depoſitus in duodecima ſeſſione* Concilii Conſtantienſis *& A. 1415. d. 29. Maji; obiit anno 1419.*
(7) *Appellatur illud nunc vulgo* das güldene Tach.

sii Regis Franciæ, qui Anno 1363. obiit, *pronepos*, Dux *Burgundiæ* & *Caroli* Ducis *Burgundiæ* cognomine *Pugnacis pater*, qui A. 1430. die 10. Januarii in nuptiis suis cum *Isabella* Regis *Lusitaniæ* sive *Portugalliæ Joannis I.* filia *inclytum Velleris aurei Ordinem Equestrem* primus instituit, & A. 1467. obiit.

Statua XVII. alias perperam XXVII.

CAROLVS

cognomine PVGNAX, Ducis *Burgundiæ Philippi Boni* filius, Dux *Burgundiæ*, qui (1) A. C. 1476. ab *Helvetiis* eorumque *Fœderatis* apud *Granseum* & *Murretum* duabus gravissimis cladibus affectus est, & tandem A. 1477. die 5. Januarii in tertio infelici prælio apud *Nansium* seu, ut alii vocant, *Nancæum* ipse occubuit.

Statua XVIII. alias perperam V.

MARIA

Ducis *Burgundiæ Caroli Pugnacis* Filia & Ducatus *Burgundiæ* omniumque *septendecim Provinciarum Belgicarum* unica hæres, quæ A. 1477. die 19. Augusti nupsit *Imp. Maximiliano I.* & (2) A. 1482. die 28. Martii obiit.

Statua XIX. alias perperam XIII.

IMP. FRIDERICVS V.

Imp. Maximiliani I. pater, qui A. 1493. obiit, & vulgo quidem *Tertius* vel *Quartus* cognominatur, revera autem (3) *Quintus* appellandus est, nempe respectu *Electionis* suæ per Principes Electores Germaniæ, a quibus A. 1440. die 2. Februarii Francofurti legitime & cum legitimo suo consensu Imperator creatus est. Quod autem *Ipse Imp. Fridericus* tam in *Epitaphio*, quod Ipse sibi vivus composuit & etiam nunc *Vindobonæ* sive *Viennæ Austriæ* in Cathedrali Basilica *S. Stephani* cernitur, quam in (4) *Diario Vitæ suæ* propria ipsius manum exarato, aliisque variis monumentis manuscriptis, quæ in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea* adservantur, partim integra scriptura, partim autem per abbreviatam hanc Nominis sui notam



Tertium se appellat, non fit respectu *Electionis* & *Coronationis Germanicæ*, & quasi supputatione hac (5) *Imp. Fridericus Austriacus* cognomine *Pulcher*, *Imp. Alberti I. filius*, qui post mortem *Imp. Henrici VII.* anno 1314. contra *Ludovicum Bavarum* Imperator electus est, atque (6) *Imp. Fridericus* Dux Brunsvicensis atque Luneburgensis, qui A. 1400. post abdicationem *Imp. Wenceslai Ignavi* legitime electus, & ante coronationem suam Germanicam occisus est, Imperatorum Romanorum

(1) *Vide Analec. Tom. I. p. 826. & deinceps usque ad pag. 841. & 842. inter quas vera ejus effigies inserta est.*

(2) *In* Speculo Gloriæ Austriacæ, *Norimbergæ nuper germanicæ edito pag. 843. & in* Nicolai Rittershusii *Tabula Genealogica secunda Ducum Burgundiæ perperam legitur* Mariam *hanc obiisse A. 1483. d. 25. Martii.*

(3) *Vide Additamentum primum* Diarii *mei* Sacri Itineris Cellensis *a pag. 217. usque ad. p. 266.*

(4) *De insigni hoc* Diario *membranaceo MSto prolixe agitur in* Diario *meo* Sacri Itineris Cellensis *a pag. 13. usque ad pag. 38.*

(5) *Vide supra citatum Additamentum* Diarii *mei* Sacri Itineris Cellensis *pag. 218. & deinceps.*

(6) *Vide idem jam memoratum Additamentum pag. 255. & 256.*

rum numero excludantur, ſed tantum reſpectu *Coronationis Romanæ* per Summum Pontificem; quippe quam ex *quatuor* Imperatoribus, qui ante Ipſum *Friderici* nomen habuerunt, non niſi *duo* conſecuti ſunt, nempe *Imp. Fridericus I.* ſive *Ænobarbus* & *Imp. Fridericus II.* Imp. *Friderici I.* ex filio Imp. *Henrico Aſpero* nepos: quibus Ipſe acceſſit *Tertius*, utpote qui anno 1451. a Summo Pontifice *Nicolao V. Romæ* in Baſilica *Vaticana S. Petri* coronatus eſt.

Satua XX. alias perperam XXIII.

SIGISMVNDVS

Archiducis Auſtriæ Friderici (1) cognomine *cum Marſupio vacuo Filius, Archidux Auſtriæ*, qui propter ubertatem (2) *Metallorum Sebatenſium* ſive *Swatzenſium*, principio Regiminis ejus A. C. 1448. in *Comitatu Teriolenſi* inventorum, cognominatus eſt OPVLENTVS, & anno 1496. obiit abſque liberis: quam ob rem tunc temporis omnes ad *Auguſtiſſimam Domum Germanico-Auſtriacam* pertinentes Provinciæ, quæ *centum & triginta quatuor annos* (3) diviſæ fuerant, pervenerunt in poteſtatem ſolius *Imp. Maximiliani I.* æque ut anno 1665. poſt inopinatum Archiducis *Sigiſmundi II.* obitum ſub Clementiſſimo Domino noſtro Imp. LEOPOLDO I. iterum conjunctæ ſunt.

Statua XXI. alias perperam XVI.

PHILIPPVS

Imp. Maximiliani I. Filius, Archidux Auſtriæ, Burgundiæ & Belgicarum Provinciarum Princeps, atque per uxorem *Joannam* PRIMVS ejus nominis REX HISPANIÆ, qui A. C. 1506. obiit.

Statua XXII. alias perperam XXIV.

BLANCA MARIA

(4) *Galeacii Mariæ Ducis Mediolanenſis filia*, & *Imp. Maximiliani I.* cui A. C. 1494. nupſit, *ſecunda uxor*, quæ noctu inter horam duodecimam diei ultimi Decembris anni 1510. & horam primam Calendarum Januarii anni 1511. obiit.

Statua XXIII. alias perperam II.

FERDINANDVS

cognomine CATHOLICVS, *Rex Arragoniæ*, qui per matrimonium cum *Iſabella Regina Caſtellæ* evaſit *Rex Hiſpaniarum*, ac tandem etiam *Neapolis* & *Siciliæ*, obiitque anno 1516. maximam ſui nominis relinquens celebritatem propter *inventionem Novi Orbis Terrarum*, quæ ipſius auſpiciis per *Chriſtophorum Columbum Genuenſem* A. 1492. contigit.

Statua XXIV. alias perperam III.

CVNEGVNDIS

Imp. Friderici V. Filia & *Imp. Maximiliani I. Soror*, quæ anno 1487. nupſit *Duci Bavariæ Alberto IV.* poſt cujus obitum anno 1508. Cœnobium Sanctimonialium Ordinis *S. Fran-*

(1) *Vide ſupra pag. 444.*

(2) *Vide ſupra pag. 422. & deinceps uſque ad pag. 430.*

(3) *Nempe inde ab Anno C. 1362. quo Archiducis* Alberti Sapientis *filii eas inter ſe diſpertiverunt.*

(4) *In enumeratione harum Statuarum, a RR. PP.* Franciſcanis Oenipontani *mecum communicata, uti ſupra pag. 428. videre eſt, nec non in R. P.* Felicis Reineccii *ſupra citata Hiſtoria Illuſtrium Fœminarum Ordinis* S. Franciſci, *perperam legitur ſecundum hanc Imp. Maximiliani I. uxorem fuiſſe filiam Ducis Mediolanenſis* Joannis Galeatii. *Revera enim is fuit* frater *illius, non autem* pater.

Franciſci ingreſſa eſt, & in eo cum ſingulari quadam ſanctitatis fama anno 1520. obiit.

Statua XXV. quæ etiam alias recte

XXV.

MARGARITA

Imp. Maximiliani I. Filia, & *Sponſa Regis Galliæ Caroli VIII.* anno 1483. a quo cum patri ſuo ante conſummationem matrimonii eſſet remiſſa, nupſit deinde primum quidem *Principi Hiſpaniarum Joanni, Regis Ferdinandi Catholici filio* anno 1497. quo eodem is præmature mortuus eſt, ſecundum autem *Philiberto Duci Sabaudiæ* anno 1501. poſt cujus mortem, quæ anno 1505. contigit, conſtituta eſt a patre pro *Carolo* nepote *Gubernatrix Belgii*, obiitque *Mechliniæ* anno 1530.

Statua XXVI. alias perperam I.

JOANNA

Ferdinandi Catholici Regis Arragoniæ & *Iſabellæ Reginæ Caſtellæ filia*, quæ anno 1496. nupſit *Philippo Imp. Maximiliani I. filio*, & per ipſam *primo* ejus nominis *Hiſpaniarum Regi*, quem adeo vehementer amavit, ut partim ex impatientia abſentiæ ejus, partim autem ex zelotypia An. 1503. inciderit in *delirationem*, atque etiam poſt illius obitum inde ab anno 1506. uſque ad annum 1555. quo & ipſa mortua eſt, *delira* permanſerit.

Statua XXVII. alias perperam XI.

IMP. CAROLVS V.

Regis Hiſpaniarum Philippi I. filius, & *Archidux Auſtriæ*, qui principum Electorum conſenſu ſucceſſit avo ſuo *Imp. Maximiliano I.* in Imperio Romano An. C. 1519. eique cum ſumma laude præfuit uſque ad An. 1556. quo ſponte ſe abdicavit, nec multo poſt, nempe anno 1558. in *Cœnobio Eremitano S. Juſti in Extremadura* obiit.

Statua XXVIII. alias perperam XII.

IMP. FERDINANDVS I.

Regis Hiſpaniarum Philippi I. filius, & *Archidux Auſtriæ*, qui anno 1521. duxit uxorem *Annam Jagellonicam*, Regis Hungariæ & Bohemiæ *Ladislai II.* filiam; poſt cujus fratrem *Ludovicum II.* qui ultimus ex ea Familia *Hungariæ & Bohemiæ Rex*, anno 1526. apud *Mohatz* in prælio contra *Turcas* occubuit, tam fœdere connubiali, quam Majorum ſuorum pactis & conventionibus, utrumque *Regnum Hungariæ* & *Bohemiæ* cum *Sileſia*, *Moravia* & *Luſatia* adeptus, atque uno eodem anno 1527. primum *Pragæ* in *Bohemia*, deinde autem ad *Albam Regalem* in *Hungaria* ſolenniter coronatus eſt. *Rex* autem *Romanorum* electus eſt anno 1531. &, cum fratri ſuo *Imp. Carolo V.* ſponte ſe abdicanti, anno 1556. in *Imperio* ſucceſſiſſet, præfuit illi glorioſe uſque ad an. 1564. quo obiit.

Hoc igitur, ut jam indicavi, ordine debuiſſent *Statuæ* illæ *viginti octo* collocari, ſi naturali ſucceſſionis ductu obſervata eſſet Chronologica ſeries *ætatis*, & præcipue quidem *mortis*, earum *Perſonarum*, quarum partim revera ſecundum *antiquas baſium Inſcriptiones* ſunt, partim autem ob jam memoratarum *veterum Inſcriptionum* defectum ex ſola conjectura creduntur eſſe *Imagines*. Teſtatur enim *Nathan Chytræus* in *Deliciis variorum per Europam*

ropam Itinerum (1), Herbonæ Nassoviorum anno 1594. in 8vo editis, illo adhuc tempore, cum ipse Syntagma istud colligeret, ex jam memoratis *Statuis* non nisi *duodecim* tantum certas suas in *basibus* habuisse *Inscriptiones;* quas, uti tunc descriptæ & ab illo publicatæ sunt, hic subjungo:

I.

CLODOVEVS der erst Christenlich König von Franckreich.

II.

ALBRECHT der Weise, Ertzhertzog zu Osterreich, ein Sohn Königs Albrechts des Sighaften. (2) *1528.*

III.

Fraw MARIA BLANCA Röm. Königin 1525.

IV.

KARL, Hertzog zu Burgund, zu Brabant, zu Geldern, Grave zu Flandern.

V.

Fraw JOHANNA, Königin zu Castilien, König Philips Gemahl. 1528.

VI.

FERDINAND, König zu Hispanien, Kayserlicher und Königlicher Majestät Altvatter.

VII.

Fraw ELISABETH, König Sigismundi Tochter von Vngern, Albrecht des Fünften von Osterreich, Römischen, Hungerischen, Behmischen Königs Gemahel, Königs Laslaw Mutter. 1529.

VIII.

GODFRID von Bulian, König zu Jerusalem.

IX.

König ALBRECHT der Erst, Hertzog zu Osterreich 1527.

X.

FRIDERICH, Hertzoch zu Osterreich, zu Steyer, zu Kerndten und zu Crain, Grave zu Tirol.

XI.

FRIDERICVS Tertius Imperator, Divi Imperatoris Maximiliani pater.

XII.

ALBRECHT von Osterreich, Römischer, Vngerischer und Behaimischer König, Laslaw Vatter.

Addit deinde idem *Chytræus* de *reliquis Statuis* ἀνεπιγράφοις sequentia.

Reliqui XVI. Colossi ænei carent Inscriptionibus. Aderant autem ibidem Bases quædam æneæ sine Signis, quarum tres sic erant inscriptæ:

I.

DIETRICH VON BERN, König in Italien, Hispanien und Gothorum.

II.

ARTVS, König in Engelland.

III.

PHILIPPVS, König in Castilien und Granaten, Ertzhertzog zu Osterreich und Burgund, Graf zu Habspurg. 1533.

Hucusque *Nathanis Chytræi* de *Statuis* illis *viginti octo æneis* & earum *antiquis Inscriptionibus* testimonium: unde, uti supra dixi, apparet, non satis constare, an omnes illæ Statuæ

(1) *Pag. 546. & 547.*

(2) Numerus *hic 1528. ut & cæteri, qui sequentibus nonnullis Inscriptionibus adjuncti sunt, significant* annum Christi, *quo unaquæque earum Statuarum fusa est.*

tuæ revera sint *Imagines* earum *Personarum*, quibus vulgo nunc solent attribui. Quin etiam ipse (1) supra laudatus R. P. *Felix Reineccius* ingenue fatetur, de *duabus* illis *Statuis*, quæ vulgo creduntur esse *Imperatorum Caroli V.* & *Ferdinandi I.* sibi non liquere, nec se de iis, longa licet investigatione, certi quidquam potuisse invenire. Ipsa ejus verba sunt hæc: (2) *Wer die jenige seyn, welche durch die eylffte und zwölfte Bildnüs vorgestellt werden, hab ich durch langes nachsuchen nicht finden mögen. Etliche seind der meinung, und halten es darfür, es seyn die zween Gebrüder Carolus der Fünffte und Ferdinandus der Erste.* Hæc R. P. *Reineccius.* Quocirca non mediocriter exhilaratus sum, ubi nuper inter *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* Codices manuscriptos, nullis adhuc certis numeris notatos, fortuito reperi *antiquam* quandam *Germanicam earundem Statuarum Recensionem*, tempore ipsius *Imp. Ferdinandi I.* compositam & exaratam, cujus Titulus: *Verzaichnus der Bilder zu weyland Kayser Maximilianen hochlöblichster gedächtnus Grab gehörig, so gegossen sind, und wie viel noch darzu gossen werden sollen;* hoc est: *Designatio Statuarum ad Glorioſissimi Romanorum Imperatoris Maximiliani I. Monumentum pertinentium, tam quæ jam sunt fusæ, quam quæ illis debent addi, & adhuc fundendæ sunt.* In hac enim enumeratione omnium illarum *Statuarum*, tam quæ tunc temporis jam fusæ, quam quæ adhuc fundendæ erant, nulla prorsus fit mentio *duarum Statuarum Imp. Caroli V.* & *Imp. Ferdinandi I.* contra autem fit ibi mentio *sex aliarum Statuarum* jam fusarum, de quibus in (3) supra inserto *RR. PP. Franciscanorum Catalogo* altum est silentium. Earum *prima* repræsentavit S. LEOPOLDVM, *quartum* ejus nominis *Marchionem Austriæ*, cognomine *Pium*, qui (4) A. C. 1136. d. 15. Novembris obiit. Expresse autem ibi additur, Statuam hanc *Inscriptione sua* tunc temporis *adhuc caruisse. Secunda* earundem *sex Statuarum* repræsentavit RVDOLPHVM cognomine *Mitem*, Imp. *Rudolphi I.* filium, qui (5) A. 1290. *Pragæ* obiit. *Tertia* repræsentavit ELISABETHAM *Mainhardi* Ducis Carinthiæ & Comitis Teriolensis filiam, & *Imp. Alberti I.* uxorem, quæ A. 1313. obiit. Notabile autem est, quod ibidem additur, etiam huic Statuæ *Inscriptionem suam* tunc temporis adhuc *defuisse. Quarta* earundem *sex Statuarum* repræsentavit FERDINANDVM, primum ejus nominis Portugalliæ Regem, & *Eleonoræ* matris Imp. *Maximiliani I.* proavum, qui (6) A. 1383.

(1) *Vide supra pag. 426. & 427. in margine.*
(2) *Historiæ Illustrium Fœminarum Ordinis S. Francisci capite octavo pag. 116.*
(3) *Vide supra pag. 428. & deinceps usque ad pag. 431.*
(4) *Vide Analect. Tom. I. pag. 881.*
(5) *Vide antiquos Annales* Dominicanorum Colmariensium *a* Christiano Vrstisio *primum editos pag. 25. ubi inprimis notabile est, quod is ibi vocatur* Dux Alsatiæ.
(6) *Vide R. P. Antonii Vasconcellii e S. Jesu Historiam Regum Lusitaniæ, impressam Antverpiæ A. 1621. in quarto p. 133 & deinceps.*

1383. obiit. *Quinta* Statua repræ- A peratricis *Eleonoræ Statua marmo-*
sentavit LADISLAVM Imp. *rea sepulchrali* (2) *Neapoli Austriæ*
Alberti II. filium, cognomine *Post-* non sine admiratione cernitur. Et
humum, & Hungariæ atque Bohe- hæc quidem de *Templi Oenipontani S. Crucis Statuis viginti octo æneis*, ad *Imp. Maximiliani I. Monumentum* pertinentibus, in præsens obiter sufficiant. Cum itaque, ut (3) supra narravi, Sacratissimus Imperator LEOPOLDVS die *secundo* Octobris *Vrbem Oenipontanam* magnificentissima pompa ingressus, ad jam memoratum *Templum* recta perexisset, interfuit IS ibi solenni illi gratulatorio Hymno *Te DEVM laudamus*, eoque finito, recepit SE in contiguum *Palatium Archiducale*, quod propter Augustissimam novi hujus DOMINI sui Præsentiam solito majori splendore fulgescere visum est. Substitit ibi CÆSAR integros *viginti tres* dies, nempe usque ad diem XXVI. Octobris. Describenda igitur jam hic essent cum alia multa, quæ *interea temporis* memoratu digna contigerunt, tum vero inprimis, quanto affectu & obsequio CÆSAR a Serenissima (4) Archiducissa (5) ANNA, Sereniſſimi olim Archiducis (6) FERDINANDI CAROLI *Vidua*, ejusque *filiabus*, Sereniſſi-

mi Regem, qui A. 1458. obiit. Additur autem ibi, Statuam hanc tunc temporis stetisse in *Armamentario Oenipontano*, & *capite* atque *uno pede* adhuc caruisse. *Sexta* denique earundem sex Statuarum repræsentavit ELEONORAM, B Regis Portugaliæ *Eduardi I.* filiam, & Imp. *Maximiliani I.* matrem, quæ anno 1467. (1) *die tertio Septembris* obiit. Notabile autem est, quod de hac Statua ibidem speciatim additur his verbis: *Dieses Bild ist das in dem langen Haar und Kleid hinden hinaus gantz schlecht ohn alle zier mit blossem haupt gegossen: ist vast löcherig, und am gus übel ge-* C *fallen, und das Haar nicht ausbereit: mangeln die Händ, Cron, Kertzen, Schild und Schrift. Dieses Bild soll der Kayserlichen Majestät gnädigsten Entschlus und Bevelch nach wieder anders gegossen werden.* Hinc enim patet, Statuam hanc præ cæteris fuisse conspicuam eadem illa *capillorum sparsorum & a capite usque ad pedes pertingentium* elegan- D tia, quæ etiam in altera ejusdem Im-

(1) *Testatur hoc antiqua* Inscriptio, Sepulchro *ipsius* Neapoli Austriæ *insculpta, ubi expresse & satis manifeste legitur III NON. SEPTEMBR. ut ipse meis vidi oculis. Idem quoque confirmat coætaneus Autor* Nicolaus Langkmannus, *cujus supra pag. 525. in margine feci mentionem. Corrigendum ergo est* Speculum Gloriæ Austriacæ, *Norimbergæ nuper germanice editum, ut &* Calendarium Austriacum *eidem subjunctum, quippe ubi p. 747. & 1413. perperam legitur, Imperatricem* Eleonoram *obiisse* die primo Septembris.

(2) *In Templo Cœnobii Sacri Ordinis Cisterciensis* Sanctissimæ Trinitati *dicato, quod vulgo propter instaurationem post incendium vocatur* Cœnobium novum *sive* das Neue Kloster.

(3) *Vide supra pag. 425.*

(4) *De hoc vocabulo* Archiducissa, *utrum latine loquentibus eo uti liceat, an potius* Serenissima Archidux *dicendum sit vide* Ger. Joan. Voss. *de Vitiis Sermonis seu Glossematis Latino-barbaris cap. 16. pag. 65. & 66.*

(5) Patrem *ea habuit* Magnum Hetruriæ Ducem Cosmum II. *ex quo nata est An. 1616. d. 26. Julii: nupsit autem An. 1646. d. 10. Junii.*

(6) *Obiit is A. 1662. die ultimo Decembris. Vide* Librum primum *horum Commentarior. p. 40.*

nissimis Principibus (1) CLAVDIA FELICITATE, & (2) MARIA MAGDALENA, sit exceptus, quantaque clementia & benignitate, honorem SIBI exhibitum IPSE vicissim compensaverit; simul etiam quo pacto quibusque cærimoniis d. 19. Octobris (3) *Propositio Comitiorum Provincialium*, sequenti autem die 20. Octobris (4) *Præstatio Homagii* sit celebrata, & quam splendide atque liberaliter omnes *Ordines Provinciales* in *publico Convivio*, cui ipsa S. CÆSAREA MAIESTAS, in eminentiori quodam pegmate seorsim epulans, interfuit, multis optimo ordine a se invicem distinctis, & exquisitissimo omnis generis apparatu instructis mensis tractati sint, quantamque ex admirando tanti PRINCIPIS conspectu hirsuta illa *rusticorum Rhæticorum* pectora, postquam incaluere mero, fiduciam fausti ominis & lætitiam vere genuinam perceperint: verumenimvero earum rerum prolixa & accurata enarratio justo potius *Annalium Austriacorum* Operi reservanda, quam his *de Augustissima Bibliotheca Cæsarea Commentariis* inserenda est, quippe ubi, ut (5) supra jam indicavi, *Itineris Oenipontani*, & consequenter *Commorationis* etiam *Oenipontanæ* non fit mentio, nisi tantum obiter, nec alio respectu, quam quatenus ea cum reliquæ *Historiæ Literariæ*, tum vero inprimis *Historiæ Incrementi* jam memoratæ *Augustissimæ Bibliothecæ* potest inservire. Ut ergo huic promisso meo satisfaciam, ordiar a celeberrimo *Ordinis Præmonstratensis S. Norberti Cœnobio Veldidenensi*, bis mille circiter passus ab *Vrbe Oenipontana* in dextra *Oeni* ripa meridiem versus dissito, quod vulgo nunc corrupte *Wilden*, ab aliis autem multo etiam corruptius *Wilten*, *Wiltan*, *Wilthan*, *Wilthin* & *Wilthaim* appellatur. Illud enim *secundo* post die, quam *Oenipontem* perveneramus, summo desiderio invisi, ut contemplarer vestigia antiquæ Vrbis VELDIDENÆ, quam certo constat ibi olim fuisse sitam ad Romanorum veterum *Viam militarem*, ex *Italia* per *Alpes Augustam Vindelicorum* ductam, & ab *Imp. L. Septimio Severo*, ejusque filiis *M. Aurelio Antonino Caracalla* & *P. Septimio Geta* per *millia passuum centum & decem*, hoc est, si quater mille passus pro uno milliari Germanico communi supputentur, *viginti septem milliaria Germanica cum dimidio* restauratam: in cujus rei memoriam olim ante *portam* supra memorati *Cœnobii* juxta viam publicam stetit antiqua quædam *Columna milliaria* ex candido marmore cum hac (6) Inscriptione:

(1) *Nata ea est Anno 1653. d. 30. Maji.*
(2) *Nata ea est Anno 1656. d. 17. Augusti. Obiit præmature d. 20. Januarii A. 1669.*
(3) *Vulgo* die Land-tages Proposition.
(4) *Vulgo* die Land-hüldigung.
(5) *Vide supra pag. 236.*
(6) *Vide* Steph. Vinand. Pighii *Herculem Prodicium pag. 247. & 248* Marci Velseri *antiqua Monumenta Augustana pag. 250. & 260.* & Jani Cruteri *Syntagma veterum Inscriptionum pag. 157.*

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS
PIVS PERTINAX. AVG. ARABICVS
ADIABENICVS. PARTHICVS. MAX.
PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. (1) XII.
COS. (2) II. P. P. PRO. COS. ET. IMP. CAES,
M. AVRELIVS. (3) ANTONINVS. PIVS. AVG.
TRIB. POT. IIII. PRO. COS. ET. IMP.
P. SEPTIMIVS. GETA. ANTONINVS
VIAS. ET. PONTES. REST. AB. AVG.
MIL. PAS. CX.

Stetit hæc *Columna* ibi uſque ad annum Chriſti 1587. quo eam Sereniſſimus Archidux *Ferdinandus*, Imp. *Ferdinandi I.* filius, una cum *quatuor* aliis ejuſdem generis *Columnis milliariis*, in illa planitie ad *Oenum* hinc inde repertis, curavit transferri in *Arcem Ambraſianam*, ubi, ut paulo poſt prolixius indicabitur, etiamnunc adſervantur. Quanti autem nominis & celebritatis *Veldidena* olim fuerit, ſatis ex eo patet, quod *Antoninus* in ſuo Itinerario *tria* diverſa *Itinera* ibi terminat, ut ex ſequentibus eorum deſcriptionibus videre eſt.

Iter a Lauriaco Veldidenam M. P. CCLXVI.
hoc eſt,

Iter ab *Auſtriæ Superioris* pago *Lorch* prope Vrbem *Aniſiam* ſive *Ens* ad *Comitatus Teriolenſis* Cœnobium, vulgo dictum *Wilden*, prope *Oenipontem* ſive *Inſpruck*, milliarium (4) Germanicorum Communium *ſexaginta ſex cum dimidio.*

Nomi-

(1) Marcus Velſerus *cenſet ibi legendum eſſe* IMP. XI.

(2) Secundus *hic Imp. L. Septimii Severi* Conſulatus *incidit in annum Vrbis conditæ 947. in annum autem Chriſti 194. ut recte ſupputant doctiſſimi, quos hic ſequor, Chronologi, R.P.* Dionyſ. Petavius *lib. 13. de doctrina Temporum pag. 693.* & Vbbo Emmius *in Chronologia Rerum Romanarum.* Stephanus *autem* Vinandus Pighius & Marcus Velſerus *ſupra citatis locis eundem Imp. L. Septimii Severi* Conſulatum ſecundum *minus recte referunt ad annum Vrbis conditæ 954. quo revera Conſules fuere* L. Annius Fabianus & M. Nonius Mucianus. *Ejuſdem* Conſulatus ſecundi *fit etiam ſupra, nempe pag. 363. mentio in* alia *quadam antiqua* Inſcriptione: *ſed ibi pro* TRIB. POT. VIIII. IMP. XII. *culpa vel ſculptoris, vel deſcriptoris mendoſe legitur.* TRIB. POT. III. IMP. VII.

(3) Warmundus Ygl *in Notis marginalibus ad Tabulam* Chorographicam Comitatus Teriolenſis *ligno inciſam*, & *Pragæ A. 1605. a ſe editam, perperam ſcribit per* ANTONINVM PIVM *hoc loco intelligi* Imp. Antoninum Pium, *qui Anno C. 137.* Imp. Hadriano *ſucceſſit in Imperio*, & *Anno 161. obiit. Revera enim ſignificatur* Imp. Antoninus Caracalla, *Imp.* L. Septimii Severi *filius, qui poſt mortem patris cæpit imperare cum fratre ſuo conſanguineo* P. Septimio Geta *An. C. 211.*

(4) Quatuor millia paſſuum *conficiunt* unum milliare Germanicum commune, quinque *autem* pedes *unum* paſſum. *Vide* Philippi Cluverii *introduct. in Geographiam Vniverſalem lib. 1. cap. 9.* & Hieronymi Suritæ *Præfationem in Emendationes Itinerarii* Antonini *pag. 167.*

Nomina antiqua, uti in ipso *Itinerario* extant, una cum intervallorum *milliariis*, quæ magna ex parte corrupta sunt.	Nomina antiqua casu recto & emendata.	Nomina nova antiquis respondentia secundum *Philippum Cluverium* in (1) Chorographia *Vindeliciæ* & *Norici* & in descriptione (2) *Italiæ Antiquæ*.
Ovilabim M. P. XXVI.	*Ovilabis.*	*Wels.*
Joviacum M. P. XXXII.	*Joviacum.*	(3)
Jovavim M. P. XXVIII.	*Juvavum.*	*Saltzburg.*
Bidaium M. P. XXXIII.	*Bedajum & Budacum.*	*Bämburg.*
Pontem Oeni M. P. XVIII.	(4) *Pons Oeni.*	*Alten Hohenau.*
Isiniscam M. P. XX.	*Isiniſca.*	*München.*
Ambre M. P. XXXII.	*Ambra.*	*Pruck an der Amber.*
Ad Pontes (5) *Terseninos M. P. XL.*	*Pontes Tessenii.*	*Tiessen.*
Parthanum M. P. XX.	*Parthanum.*	*Partenkirch.*
Veldidenam M. P. XXIII.	*Veldidena.*	*Wilden.*

Iter a Ponte Oeni Veldidenam M. P. XC.

Albiancum M. P. XXXVIII.		
Mastiacum M. P. XXVI.		
Veldidenam M. P. XXVI.	*Veldidena.*	*Wilden.*

Iter ab Aquileja per compendium Veldidenam M. P. CC XV.

Ad Tricesimum M. P. XXX.	*Lapis Tricesimus.*	*Tricesimo.*
Juliam Carnico M. P. XXX.	*Julium Carnicum.*	*Zuglio.*
Loncium M. P. XXII.		*Lientz,*
Aguntum M. P. XVIII.		*Innichen.*
Littamum. M. P. XXIII.		*Lutach.*
Sebatum M. P. XXIII.		(6)
Vipitenum M. P. XXXIII.		*Sterzingen.*
Veldidenam M. P. XXXVI.	*Veldidena.*	*Wilden.*

Ejus-

(1) *Cap. 4. & 5.*

(2) *Lib. 1. cap. 16.*

(3) *De vero hujus loci situ* Philippus Cluverius *ingenue fatetur sibi plane nihil liquere. Vide igitur* Abrahami Ortelii & Philippi Ferrarii *Lexica Geographica*, & Wolf. Lazii *Commentar. de Rep. Rom. lib. 12. sect. 6. cap. 9.*

(4) *Veterum hic* Pons Oeni *inter* Monachium & Saltzburgum *diversus est a recentiori* Ponte Oeni *in Comitatu Teriolensi, vulgo nunc dicto* Inspruck.

(5) *Ita legitur in editione* Hieron. Suritæ *alibi autem* Ad Pontes Tesenios; *pro quo* Philip. Cluverius *legendum censet* Ad Pontes Tessenios.

(6) *De hoc loco* Philippus Cluverius *sibi non liquere fatetur his verbis*: Sebatum quo loco fuerit, minime dispicio. sed cum manifestum sit Aguntum esse Innichen, nec dubitare liceat Lontium esse Lientium, transpositæ esse ea vocabula certum est. *Vide supra pag. 414. ubi* Sebatum *interpretatus sum* Swatz.

Ejuſdem VELDIDENÆ meminit idem *Antoninus* etiam in *Itinere ab Auguſta Vindelicorum Veronam* hoc modo:

Iter ab Auguſta Vindelicum Veronam M. P. CCLXXII.

Abuzacum M. P. XXXVI.	*Abudiacum*	*Füeſſen.*
Parthanum M. P. XXX.		*Partenkirch.*
VELDIDENAM M. P. XXX.	*Veldidena.*	*Wilden.*
Vitipenum M. P. XXXVI.		*Sterzingen.*
Sublavionem M. P. XXXII.	*Sub Sabione.*	*Brixen.*
Endidas M. P. XXIV.	*Endidæ.*	*Egna* ſive *Enia.*
Tridentum M. P. XXIV.		*Trient* ſive *Trento.*
Ad Palatium M. P. XXIV.	*Palatium.*	(1)
Veronam M. P. XXXVI.	*Verona.*	*Verona* ſive *Bern.*

Notandum autem eſt, numeros hujus Itineris inter *Auguſtam Vindelicorum* & *Veldidenam* ſine dubio corruptos eſſe. Nam cum ex ſupra (2) inſerta antiqua *Inſcriptione* certo appareat, inter *Auguſtam Vindelicorum* & *Veldidenam* fuiſſe *centum & decem millia paſſuum*, hic tamen non numerantur niſi tantum *nonaginta ſex*, ideoque reliqua *quatuordecim millia paſſuum* culpa librariorum omiſſa ſunt. In ruinis igitur VELDIDENÆ, cujus pervetuſta celebritas ex ſupra citatis *quatuor Itinerarii Antonini locis* abunde elucet, *Cœnobium* illud exſtructum eſt, quod, ut (3) ſupra indicavi, vulgo nunc corrupte appellatur *Wilden;* mutato videlicet nomine VELDIDENA initio quidem in *Veldiden*, deinde autem in *Velden*, *Vilden*, & *Wilden:* ex quo porro factum eſt *Wilten*, deinde autem *Wiltan* vel ut alias ſcribitur, *Wilthan*, & tandem *Wiltheim* ſive (4) *Wilthaim;* quod ultimum nomen *Stephanus Vinandus Pighius* (5) perperam habet pro genuino, & a *ferarum luſtris* huic loco inditum eſſe exiſtimat. Cæterum quod ad *Conditorem Cœnobii Veldidenenſis* attinet, creditur C is fuiſſe HAYMO, *giganteæ* ſtaturæ Vir, & ab Idololatria gentili ad Chriſtianam Religionem converſus, cujus (6) *Sepulchrum* una cum ejuſdem *Statua*, quam æri inciſam *Matthæus Merianus* Topographiæ Provinciarum Auſtriacarum inter p. 142. & 143. inſeruit, etiamnunc ibi oſtenditur. Monſtratur quoque ibidem *oſſea* quædam *lingua* longitudinis D (7) *unius* ulnæ, & *gladii inſtar ancipitis mucronata*, quam ferunt eundem *Haymonem* ingenti *Draconi*, exſtructionem *Cœnobii* nocturna laborum præcedentis cujuſque diei ſubver-

(1) *Vbi* Palatium *hoc ad* Atheſin *amnem ſitum fuerit, negat ſibi liquere* Philippus Cluverius.
(2) *Vide ſupra pag. 459.*
(3) *Vide ſupra pag. 458.*
(4) *Idem corruptum nomen* Wilthaimium *legitur quoque apud* Marcum Velſerum *in ſupra citatis antiquis Monumentis Auguſtanis, & in* Jani Gruteri *Syntagmate veterum Inſcriptionum. Nimis enim credule illi hac in re autoritatem* Pighii *ſecuti ſunt.*
(5) *In* Hercule Prodicio *pag. 247.*
(6) Obitus ejus *ex vulgari traditione refertur ad annum Chriſti 878. Vide* Matth. Merian. *Topographiam Auſtriacar. Provinciar. &* Martini Zeileri *magnum Itinerarium Germaniæ Nov-antiquæ cap. 16. pag. 347. & deinceps.*
(7) *Ita refert* Pighius *loco ſupra citato. Apud* Zeilerum *autem legitur* 3½ Spannen.

verſione impedienti, & a ſe occiſo excidiſſe. Meminit hujus fabulæ *R. P. Andreas Brunnerus* Parte ſecunda *Annalium Boicorum* (1) his verbis: *Cordati Viri ita ſentiunt, quæ de Sancimone quodam & Celebrando Græcis Gigantibus, quorum opera Hildegardis Caroli M. Vxor in Campidonenſis Monaſterii fabrica uſa fuerit, poeticis ſimilia monſtris referuntur, oblectandis vel in ſtuporem dandis pueris conficta eſſe: quemadmodum neque ea, quæ de Thyrſo & Haymone, ejus Vallis, quam Oenus interlabitur, ſub hæc ipſa tempora incolis, in Originibus Wilthinenſis Cœnobii, quod Haymonem Gigantem auctorem prodit, leguntur, niſi apud oppido credulos inveniunt fidem. Tam luculentas cum Draconibus pugnas, aliaque facta ingentia, quibus Herculem æquaſſe feruntur, nulli veterum celebrare in mentem veniſſe, permirum ſit. Damus tamen hanc majoribus noſtris hæc portenta obtrudentibus veniam, tanto libentius, quanto ſimplicius peccant, qui fabulas, quam qui ſcelera amant.* Hæc R. P. *Andreas Brunnerus.* Veriſimillima itaque mihi videtur eorum (2) opinio, qui ſupra memoratam *Draconis oſſeam linguam* putant revera eſſe *monſtri* alicujus *marini ſpinam acutam*, vel potius *Xiphiæ piſcis roſtrum mucronatum*, quo is naves in Oceano perforat ac mergit, ut ſubmerſos devoret; quemadmodum ex *Trebio Nigro* refert *Plinius* Hiſt. Natur. lib. 32. cap. 2.

Aut & *Olaus Magnus* Archiepiſcopus Vpſalenſis Hiſtoriæ Gentium Septentrionalium lib. 21. cap. 14. Perluſtrato igitur celeberrimo illo *Cœnobio Veldidenenſi* una cum circumjacentibus *agris*, in quibus ſæpe etiam nunc *antiqua numiſmata Romana*, aliaque varia *veteris Veldidenæ* indicia fortuito reperiuntur, proxima mihi cura fuit videndi famoſiſſimum illum *Parietem S. Martini*, vulgo *die Martins-Wand*, ubi *Imp. Maximilianus I.* dum in primo juventutis flore nimis temeraria & imprudenti aviditate *rupicapras* inſequitur, in maximum & præſentiſſimum vitæ periculum incidit. Sita eſt admiranda hæc & ſpectatu digniſſima *rupes* in ſiniſtra *Oeni* fluminis ripa trium circiter horarum itinere ſupra *Oenipontem* inter *Eccleſiam* quandam *S. Martino* dedicatam & pagum *Circellum* ſive *Cirle*, imminetque (3) ſupra memoratæ *veterum Romanarum viæ militari Auguſtanæ*, una cum aliis in eodem tractu abruptiſſimis, & in Cœlum erectis ſcopulis, qui quoniam ingentium murorum ſolidorum formam habent, *montium parietes* idcirco ſolent appellari. Magna autem in iis degit copia (4) *rupicaprarum* & *ibicum*: quæ quales ſint ferræ & quomodo capiantur, facundiſſima ſimul atque accuratiſſima deſcriptione depingit *Stephanus Vinandus Pighius*, tanquam ἀυτόπλης, in ſæpius laudato *Hercule Prodicio* his verbis: *Capræ feræ, ſeu, ut Plinius* (5) *eas vocat,*

(1) *Pag. 48. & 49:*
(2) *Vide* Pighii *Herculem Prodicium pag. 247.*
(3) *Vide ſupra pag. 458. & deinceps.*
(4) *Germanice* Gemſen *und* Steinböcke.
(5) *Hiſtor. Natur. lib. 8. cap. 53.*

cat, Rupicapræ sunt villaticis majores in montium jugis degentes, etiam inter nives illas perennes: amant enim frigora, & caloribus excœcari ferunt. Pilus eis æstate rubescit, colore tamen subnigro: hyeme ad fuscum vergens, aliquantum canescit. Et certum est, colorem eis per anni tempora mutari. Totæ albæ interdum, sed rarissimæ conspiciuntur. Cornua rupicaprarum nigricant, novem & decem circiter digitos longa; fere solida, & teretia exsurgunt a fronte, expandunturque sensim æquis undique intervallis, sed in acumine supremo prorsus adunca sunt hamorum instar, quibus se retinere possunt, dum per saxa devexa feruntur. In ædibus hominum lautiorum parietibus affiguntur deorsum versa, ut ex eorum uncis quid suspendi possit. Cæterum ibices habent cornua ponderosa & vasta, in dorsum recurva ac repanda, sedecim aliquando librarum: quæ per singulos annos crescunt uno internodio, unde nunc capricornos etiam appellant. Est autem miræ pernicitatis utrumque genus, & transilit agilitate summa per rupes ac scopulos, etiam longe distantes: nec ullum saxum tam præceps & altum est, in quod illæ feræ non possunt transilire, modo tantum scabrositatis reperiant, in quod ungulas figere possint. Actæ a canibus gregatim fugiunt in summas rupes canibus impervias, & in abrupta sæpe loca, e quibus regredi aut effugere nequeunt. Ibidem vel tormentis aut sagittis a longe feriuntur, vel eo venatores funibus per vicinos scopulos ex alto demissi, aut scandendo rependoque per montium latera penetrantes, contis præferratis illas conficiunt, & ad ima præcipitant. Venatio hæc quidem jucunda est juventuti nobili, sed multis laboribus & periculis conjuncta. Eamque ob causam Principes ad hanc venationem exercent inalpinos rusticos ac caprarios, eosque juvenes, audacia & corporis agilitate præstantes, & montibus adsuetos. Armantur, hastilibus longis utrinque præferratis & acutis, quibus & feram vulnerare, & corpus erigere scandendo per abrupta possunt. Sub pedibus nectunt laminas ferreas claviculis acutis dentatas, quibus gressum tutius figunt inter iniqua & scabrosa saxa; similesque laminas etiam aliquando, cum rependum erit, alligant sub genibus. Contra vertiginem capitis utuntur herbæ cujusdam radicibus, quæ in montium acuminibus nascitur inter nives & scopulorum rimas: pharmacopolarum vulgus Doronicum appellat, & est saporis admodum dulcis. Venatores Germanica lingua Gemsen-wurtz hoc est, rupicaprarum radicem vocant, quod ejus virtutes pastu suo capræ montanæ prodiderint. Feram aggressuri in angustiis deprehensam, hoc summopere curent venatores adeundo necesse est, ut presse semper corpus rupi aut parieti montis applicent. Cum enim exiguum spatium inter saxum ac hominem videt, cum impetu mox per illud transilire conatur, & venatorem impulsum præcipitat. Si nullum intervallum apparet, abjecta spe fugæ loco manet, & facile vel capitur vel occiditur. Hæc Pighius de venatione rupicaprarum & ibicum. Cum igitur jam memoratæ venationi *Imp. Maximilianus I.* in primo

primo flore juventæ valde esset de-
ditus, accidit aliquando, ut is in
ea rupe, quæ *Sancti Martini pa-
ries* appellatur, feras illas nimia auda-
cia adeo usque infectatus sit, ut nec
ulterius progredi, nec referre pedem
potuerit, nisi in præcipitium. Qua
ratione autem præter omnem spem
humanam præsentissima morte divi-
nitus liberatus sit, idem paulo an-
te citatus *Pighius* elegantissime re-

A fert his verbis: *Stabat attonitus in abrupto loco infelix ille Princeps, temeritatem suam culpans ipse, famis diræ longa tabe, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus, horror & tremor artus occupaverant, & observatur ubique tristissima mortis imago. Si altum respicit, nivosa cacumina & scopulorum ingentes minæ capiti imminent,* B *& ut Silii Poetæ verbis dicam:*

- - - - - - - caligat in altis
Obtutus saxis, abeuntque in nubila montes.
Sub pedibus occurrunt, tartareus veluti abyssus,
- - - - - - & Regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atra stagna paludis.

A tergo & lateribus Marpesiæ cautes non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ viarum accessus occludebant. Nec funes aliave instru- C *menta, quibus extraheretur e periculo, ad ipsum alicunde protendi poterant, nec semita quæpiam lapicidarum labore menstruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites ac ministri, consilii prorsus inopes, Dominumque suum miserum a longe non sine lachrymis prospectant, quem juvare non poterant. Ipse autem cum jam noctes atque dies integros duos in* D *tam afflicto statu conntinue permaneret, nec ulla salutis spes residua videretur esse, mortalis hujus vitæ cupidinem pius Princeps abjicere, & qua ratione tutius beatioris vitæ cœlestem in locum transire posset, cogitare cœpit. Appellat magna voce suos, jubetque ut quamprimum Sacerdotes sacrosanctam Dominici Corporis Eucharistiam adferrent, & e viciniore, quo possent, loco sibi monstrarent; ut quando corpus mortali cibo reficere non daretur, saltem oculos a longe mentemque immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret,* Deumque *Servatorem suum præsentem adoratione postrema reconciliare sibi posset. Satisfactum tam pio Principis desiderio quam diligentissime. Sed luctus interea magnus per universam Provinciam spargitur, fama tam acerbi casus divulgata. Deplorabant Parentes dilecti ac unici filii sortem infelicem, & infaustam orbitatem detestabantur. Curia, Senatus ac Ordines universi crudeli fato spei optimæ adolescentem sibi sublatum mœrebant. Populus omnis publice vota pro Principis sui salute suscipiebat; in Vrbibus Oppidisque singulis Templa atque Ædes sacras magna utriusque sexus frequentia supplex circuibat, iram Divini Numinis deprecando. Flectere Cœlestium iram mortalia vota, piasque preces, veluti miraculo quodam tum enituit. Cum enim jam ope destitutus humana Maximilianus in scopulo, cura fragilis vitæ prorsus*

ſus abjecta, nil aliud quam immortalitatis, Deique Servatoris ſui contemplatione ſemet occuparet, audit non procul a ſe ſtrepitum; circumſpicienſque, videt arreptare per rupis coſtas juvenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimovere ingentia ſaxa, & callem parare. Qui cum ipſum acceſſiſſet, porrecta dextra, Macte, inquit, animo virtuteque tua Princeps: vivit & adeſt, qui te ſervare poteſt; depone metum inanem & me ſequere, ac tutum te in tutiora loca traducam. Uti Sol per denſas nubes clarior emergit, ita mox anxii pectoris angore deterſo ſerenior rediit animus, confidenterque ducem ſequitur. Et paulo poſt in patentiore via poſitus, ſemet ex Orci faucibus ereptum videt, liberatoriſque ſui induſtriam non ſatis admirari poteſt. Ad deſcendentem deinde fit magnus comitum miniſtrorumque nobilium concurſus, ubi inter congratulantium turbas ducem ſuum perdidit. Pallidus & inedia languidus excipitur equo, domumque cum ſumma lætitia a ſuis reducitur, luctu publico confeſtim in maximum gaudium converſo. Poſtero die cum læti Patris edicto promulgato dux ille ubique terrarum quæreretur, quo præmio merito poſſet honorari, nec diu quæſitus inveniretur, cognitum pariter & vulgo creditum eſt, Evangelum cuſtodem, bonumve Genium fuiſſe, a Deo *miſſum, ut adoleſcentem Principem, ad maxima Reip. Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ Domus incrementum grande ab immatura morte ſervaret. Quam opinionem poſtea res ab ipſo præclare geſtæ plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in* (1) *eodem periculi ſui loco, in quadrum exciſo, crucifixi Servatoris noſtri imaginem ligneam, (quæ licet altitudinis, ut ferunt, quadraginta circiter ſit pedum, vix tamen bipedalis ab imo cernentibus apparet)* * una cum (2) Beatiſſimæ Dei-Genitricis & S. Joannis Evangeliſtæ a dextro & ſiniſtro latere S. Cruci adſtantium imaginibus *, *conſpicuam e via poni curavit, ut peregrinantes Divini auxilii gratiam ubique piis eſſe paratam in periculis, inde cognoſcerent.* Hucuſque *Pighius.* Hunc ergo tam inſignem locum ſpectavi non abſque ſingulari admiratione die nono Octobris; nec adeo prolixe ejus hic meminiſſem, niſi Glorioſiſſimi *Imp. Maximiliani I.* qui tantum ibi & incurrit & evaſit periculum, ſæpius mihi deinceps facienda eſſet mentio etiam reſpectu *Rei* (3) *literariæ.* Reſtat enim, ut nunc progrediar ad *Archiducalis Arcis* (4) *Ambraſianæ* perlu-

(1) *Veriſſimum profecto hoc eſt: ideoque patet non mediocriter erratum eſſe in* Speculo Gloriæ Auſtriacæ, *Norimbergæ nuper edito, dum pag. 1380. in tabula, quæ hiſtoriam hanc æri inciſam exhibet, Imp.* Maximilianus I. multo ſupra imaginem Chriſti crucifixi *genuflexus repræſentatur. In altera autem ejuſdem Hiſtoriæ tabula æri inciſa, quæ extat in* Matth. Meriani *Topograghia Provinciarum Auſtriacarum inter p. 154. & 155. veritas rei geſtæ melius obſervata eſt.*

(2) *Imaginum* Beatiſſimæ Dei-Genitricis & S. Joannis Evangeliſtæ *mentio, quæ hic inter duos aſtericos diverſo charactere impreſſa eſt, deeſt apud* Pighium.

(3) *In enumeratione videlicet* Codicum manuſcriptorum, *quos ex* Arce Ambraſiana *in* Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem *tranſtuli.*

(4) *Vulgo hæc Arx appellatur* Ambras, *ideoque & ego tam hic, quam alibi, eam vocavi*

Arcem

luſtrationem, & quam uberem *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* inde percepit fructum, fideli relatione commemorem. Sita eſt celebratiſſima illa *Arx* in peramœno quodam clivo dextræ ripæ *Oeni* ſub altiſſimis *Alpium* jugis meridionalibus ad ſecundum ab *Urbe Oenipontana* lapidem, qua parte amnis *Sylla*, vulgo *die Syll*, ex *Pyrenæo*, vaſtiſſimo *Rhætiæ* monte & perpetua glacie horrido, qui vulgo corrupte vocatur *der Prenner*, originem ducens, & auri arenulis dives, paulo infra jam dictam Vrbem in *Oenum* influit. Quod (1) ad *ſtructuram* autem & *magnitudinem*, & *delicias*, & *opulentiam* ejuſdem *Arcis* attinet, ingens profecto foret & plus quam unius Voluminis Opus, ſi quis ſingulatim enumerare & accurata diligentia vellet deſcribere, quot & quænam ea contineat *habitationis conclavia*, pretioſiſſimis *aulæis* & *tabulis pictis*, alioque vario magnificentiſſimo cultu inſtructa & exornata; quam amplis eadem cingatur *latifundiis*, *vineis*, *ſylvis*, *ſaltibus*, *piſcinis* & *ferarum vivariis*, quam excultis *hortis* & *labyrinthis*, quam jucundis *hypæthris* & *ſubdialibus cœnationibus*, quam delicioſis *Nympharum ſacellis* & *fontibus artificioſis*, quorum ſcaturigines magna torrentium ex vicinis montibus per ſubterraneos tubulos ductorum multitudo abunde ſuppeditat; quanta elegantia *Equile*, *Paradromis equeſtris*, *Sphæriſterium*, aliaque *Septa*, in quibus Juventus nobilis ſolet exercitari, adornata ſint, & quam ipſa quoque *area* antiquis *Columnis milliariis* ſplendeat; quam venerabilem præ ſe ferat horrorem vaſtum & obſcurum *Liberi Patris Spelæum* in ipſis rupibus, in quod pluribus ſaxo exciſis gradibus deſcenditur, donec perveniatur ad capaciſſima vaſa vinaria & myſteriorum Bacchicorum ſolennem innitiationem, præſcriptam ibidem hac edictali formula:

HOSPES ADVENA,
LIBERI PATRIS ADITVM NE PROFANVS EGREDITOR;
TAVRICORNIS DEI IRAM NE PROVOCATO:
AT EIVS SACRIS LVBENS INITIATOR,
MERI OPTVMI CRATEREM ACRATOPHORVM:
HAVSTV POLLENTI POTENTI POLLVCETO:
INITIATVS
NOMEN TVVM IN ORGIASTARVM
TABVLIS ADSCRIBITO:

Arcem Ambraſianam. Matthæus *autem* Merianus *in Topographia Auſtriacarum Provinciarum, ubi imaginem ejus æri inciſam inter pag. 142. & 143. inſeruit, refert nonnullos cenſere eam revera* Ameras. *vel, tanquam ad æſtivandum commodiſſimam* Ombras *ſive* Vmbras *debere appellari.* Jacobus Schrenckius *in Iconographia* Armamentarii *ejuſdem Arcis, Oeniponti A. 1601. in folio regali edita, vocat eam Arcem* Ambroſianam, *quaſi vulgo diceretur* Ambros, *non autem* Ambras.

(1) *Admirandorum hujus Arcis ſuccincta recenſio extat apud* Martinum Zeilerum *Itinerarii Germaniæ Nov-antiquæ capite 16. a pag. 353. uſque ad pag. 357.*

quanta porro & quam eximia omnigeni apparatus bellici copia ſpaciofiſſimum ſcateat (1) *Armamentarium*, quamque mirandum præbeat ſpectaculum incredibilis numerus *verorum & genuinorum armorum*, ex omnibus fere Orbis terrarum provinciis maximo ſtudio & ſumptu conquiſitorum, in quibus olim a diverſis *Imperatoribus*, *Regibus* aliiſque *Principibus* & *claris belli Ducibus* tam proſpera, quam adverſa fortuna res magnæ & memorabiles geſtæ ſunt; quam rarus denique & vere Regius variorum *Naturæ & Artis miraculorum theſarus* eo contineatur (2) *Cimeliarchio*, quod vulgo (3) *Technotheca* ſive *die Kunſtkammer* appellatur, & quanti inprimis inter cætera admiranda momenti ſint *multa millia veterum Numiſmatum Græcorum, Romanorum & Barbarorum*, quæ ibidem adſervantur, & illuſtrandis omnium fere Gentium Antiquitatibus incredibiliter poſſunt inſervire. Hac igitur tam vaſta ſcribendi materia aliis relicta, unum duntaxat hoc a S. CÆSAREA MAIESTATE tunc temporis petii, ut mihi liceret *Bibliothecam ejuſdem Arcis* a capite, ut ajunt, uſque ad calcem libere & exacte pervolvere, nec tantum *Codices manuſcriptos*, quos tam ibi, quam (4) in *duodecimo* etiam *Technothecæ* armario, ubi itidem nonnullos latitare intellexeram, inventurus eſſem, verum etiam *libros impreſſos*, qui *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi* viderentur deeſſe, a reliquis ſeparare, ut hac ratione pateſceret, quanto incremento jam memorata *Auguſtiſſima Bibliotheca* per eorum acceſſionem poſſet locupletari. Quam ſinceram & erudito Orbi fructuoſam petitionem meam cum CÆSAR non ſolum proprio ore lubentiſſime approbaſſet, verum etiam Clementiſſimum hunc Conſenſum Suum Præfecto Arcis *Dn. Franciſco Rulando* per publicum Decretum curaſſet indicari, aggreſſus ſum ſine mora utiliſſimum illud propoſitum, & initium ejus feci d. 12. Octobris poſt meridiem, ordiendo a ſupra memorato *duodecimo Technothecæ armario;* in quo quid ad rem maxime pertinens invenerim, & pro *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* ſelegerim, non multo poſt in (5) *ſecundo hujus Capitis Segmento* ſpeciatim recenſebitur. Sequenti die 13. Octobris repetii ſummo mane eandem *Arcem*, cœpique manum admovere pervolutioni ipſius *Bibliothecæ:* qua in re cum totum antemeridianum tempus ſtrenue conſumpſiſſem, atque interim CÆSAR perluſtrandæ ejuſdem *Arcis* cauſa ſuperveniſſet, oſtendi SACRÆ IPSIVS MAIESTATI poſt prandium, quid præcedenti die in perſcrutando *duodecimo Technothecæ armario* præſtitiſſem, & quam inſignes nonnullos atque

(1) *Vulgo* die Rüſt-kammer. *Græci vocant* ὁπλοθηκην *ſive* Hoplothecam. *Vide ſupra citatam Illuſtrium Heroum, quorum arma in hoc Armamentario adſervantur, Iconographiam, quam* Jacobus Schrenckius *Oeniponti Anno 1601. in folio regali edidit.*

(2) *Vulgo* eine Schatz-Kammer.

(3) Technotheca *eodem modo dicitur, uti*, Bibliotheca, Pinacotheca, Hoplotheca & *alia ejus generis. Poſſet tamen etiam recte dici* Technophylacium, *uti* Gazophylacium.

(4) *Im zwölften Kaſten der Kunſt-Kammer, genandt der Bücher-Kaſten.*

(5) Primum *hujus Capitis octavi* Segmentum *incipit ſupra pag. 285.*

pag. 477.


M. TVLLIVS CICERO.
ARG
M. TVLLIVS CICERO
MINERVA
CICERO
Romæ apud Cyriacum
Mattheium in Marmore.

que raros *Codices manuſcriptos* præter ſpem ibidem reperiſſem. (A) Spectavit deinde CÆSAR cætera quoque ejuſdem *Technothecæ* admiranda, & quidem inprimis *Numiſmatum veterum* ibidem adſervatorum incredibilem copiam; nec mediocrem percepit delectationem ex contemplatione *duorum argenteorum*, ſibi invicem magnitudine & forma *ſimillimorum*, in quorum uno latere cernitur *Caput M. Tullii Ciceronis laureatum* cum hac a tergo Inſcriptione M. T. CICERO; in altero autem *Minerva*, in ſella, pone quam ſtat *Tripos*, ſedens, dextraque manu *Imagunculam* quandam tenens, cum hac ſub pedibus Inſcriptione MINERVE; uti ex accuratiſſimo eorundem *ectypo* æri inciſo, quod hic inſerui, videre eſt. (*) Neque vero de *genuina & incorrupta* horum duorum Numiſmatum *antiquitate* quiſquam in re antiquaria examinanda & dijudicanda vel mediocriter exercitatus jure dubitare poterit, cum, uti cuilibet ſuis oculis videre (1) licet, ne minimum quidem ſuppoſititiae fraudis, vel, ſi ita liceat loqui, adulterinitatis indicium in iis appareat (B). Quamobrem rariſſima profecto pretioſiſſimaque

(1) *Adſervantur enim ea nunc in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi.*

(A) *In Appendice libri Comment. octavi addita his volebat* LAMBECIUS, *quæ adſcripſi: Additamentum VII.* Inter inſignes nonnullos atque raros Codices manuſcriptos, quos A. 1665. in jam memoratæ *Technothecæ Ambraſianæ armario duodecimo* præter ſpem reperi, & poſtea *Oeniponte* in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* tranſtuli, præcipuum fere locum obtinet *Volumen aliquod pervetuſtum oblongum ex cortice arboris*, continens *Scripturam* quandam *antiquam*, & eam quidem *latinam*, ſed adeo obſcuram, intricatam & lectu difficilem, ut ipſe hactenus nec veram lectionem, nec verum ſenſum, ratiocinando, ſeu potius divinando, aſſequi potuerim. Ut igitur etiam quilibet alii in eadem Scriptura legenda & interpretanda perſpicaciam & dexteritatem ſuam poſſint experiri, exhibeo hic totum illud *Volumen*, ſumma, quantum fieri potuit, diligentia & fidelitate depictum ac æri inciſum; ſimul etiam adjungo *ſpecimina duorum Privilegiorum latinorum*, quæ a *Dagoberto I.* & *Carolo Magno*, Francorum Regibus A. C. 633. & 779. *Imperiali Monaſterio S. Maximini juxta muros Trevirenſes* conceſſa fuerunt, & eodem fere genere ſcribendi exarata ſunt. Deſumpſi autem ea ex R. P. *Danielis Papebrochii* S. I. doctiſſima Diſſertatione *de Diplomatibus antiquis diſcernendis*, quæ in Magno Syntagmate Antwerpienſi de Actis Sanctorum Tomo ſecundo Menſis Aprilis præfixa eſt. Cætera longe plura, quæ hic addere conſtitueram, multas ob cauſas neceſſario in aliud commodius tempus differenda ſunt.

Hæc LAMBECIUS, *quem nodum, uti videbatur, gordium Eruditiſſimus* MABILLONIUS *in immortali* de Re Diplomatica Opere pag 460. *non ſecuit, ſed ſolvit. Non modo enim dictam chartam ad exemplar* LAMBECII *iterum vulgavit, ſed legit etiam, doctis adnotationibus illuſtravit, &* Ravennenſis *nomen indidit. Scriptura eſt, docente τῷ πάνυ* Italico-Gothica, *inſignem venditionis formulam continens.* Ravennenſem *libuit adpellare a loco, ubi ſcripta eſt, anno nimirum DIV, quo vix ullum antiquius autographum invenire hactenus licuit. Cetera, ſi juvat, vide ſis laudatum opus Immortallis* MABILLONII. *Nos diligentiorum gratia hinc reſciſſam vulgavimus in Analectis noſtris pag. 1027.*

(B) *Qua veterum literarum cognitione de hoc Ciceronis nummo diſſerat* LAMBECIUS, *teſtimonium Jacobi Gronovii, Ciceronis operum editioni Lugduno-Batavæ anni* CIↃIↃCXCII. *præfixum adſcripſi*: Decimum, *inquit* Cl. GRONOVIUS, ſpectaculum non ad reverentiam, plane non, ſed ad jocum edi volui ab nummo, quem mirabiliter, an miſerabiliter? multis verbis PETRUS LAMBECIUS ſicuti venditavit Auguſtiſſimo Cæſari..... ſic in Com-

maque ea cenſenda ſunt, quippe quorum a *Fulvio Vrſino* (1), *Abrahamo Gorlæo* (2), *Joanne Fabro* (3), *Jacobo de Strada* (4), aliiſque recentioribus *Numiſmatum Conſularium* diligentiſſimis indagatoribus nulla prorſus fit mentio. Notandum autem hic *primo* eſt, *Caput Ciceronis*, quod in duobus hiſce Numiſmatibus repræſentatur, ſatis bene convenire cum altera ejuſdem *effigie marmorea*, quam *Theodorus Gallæus Romæ* apud *Cyriacum Matthæium* in hortis ipſius *Cælianis* extitiſſe refert, & inter *Illuſtrium Imagines*, ex archetypis antiquis Marmoribus, Numiſmatibus & Gemmis delineatas, ærique inciſas, & Antverpiæ ex officina Plantiniana An. 1598. in quarto editas, exhibet eo modo, uti ex apographo ejus hic A inſerto videre eſt. (**). *Secundo* notandum eſt, *Caput Ciceronis* in iiſdem duobus Numiſmatibus inſignitum eſſe *Corona*. Merito autem hic quæritur, utrum per eam intelligenda ſit *Corona triumphalis laurea*, an *Corona civica quernea*. Quod enim ad *lauream triumphalem* attinet, certo conſtat, (5) *Ciceronem* anno Vrbis conditæ *ſeptingenteſimo tertio*, B Ser. Sulpicio Rufo & M. Claudio Marcello Conſulibus, totam *Ciliciam*, eique oppoſitam inſulam *Cyprum*, & tres *Aſiaticas* diœceſes *Cibyraticam*, *Synnadenſem* & *Apamienſem*, *Proconſulari poteſtate* obtinuiſſe cum *exercitu duodecies mille peditum* & *bis mille atque ſexcentorum equitum*, adeoque prudenter, fortiter & feliciter res ibi geſſiſſe, ut C a militibus ſuis IMPERATOR appel-

(1) *In Opere de* Familiis Romanis, *quæ reperiuntur in antiquis Numiſmatibus pag. 265. antiq. edit. Rom. & pag. 280. novæ edit. Pariſ. ubi agitur de Gente* Tullia.

(2) *In* Theſauro Numiſmatum Romanorum *uſque ad obitum* Auguſti, *pag. 80. ubi agitur de Gente* Tullia.

(3) *In Commentario ad* Imagines Illuſtrium *a* Theodoro Gallæo, *ex Bibliotheca* Fulvii Vrſini *maximam partem editas, pag. 80. & 81. ubi agitur de* Capite Ciceronis marmoreo & *de* æreo *quodam ejuſdem* Numiſmate, *cujus nulla mentio apud* Vrſinum & Gorlæum.

(4) *In duobus* Numiſmatum Conſularium *Voluminibus, propria ipſius manu exaratis, quæ extant in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi. *Vide ſupra pag. 134.*

(5) *Vide* Franciſci Fabricii *Hiſtoriam vitæ* Ciceronis *A. V. C. 702. ætat. Ciceronis 56.*

Commentariis ſuſtinet idem facere Lectori, quum ſit perfidiſſimæ monetæ. Etiam pretium illius extendit ideo, quod ab diligentiſſimis numiſmatum conſularium indagatoribus nulla fiat ejus mentio; ignarus hanc ab eis neglectam ſpretamque ex monitu jam Antonii Augustini in Dialogo xi. monentis ſe vidiſſe alios, & habere effictum C. Marium, M. T. Ciceronem (ita citat, ut colligas certe hunc ipſum nummum innui) Catonem &c. Verum a peritis facile dignoſci, quid a genuinis Romanis forma & qualitate differant. Quod judicium nuper quidam renovavit ex more ſuo, ſcribens amovendos ex ſerie nummorum antiquos ſtudiis inclitorum hominum, in his Tulli Ciceronis, vultus oſtendentium novitios illos nummos & moderni inventi, in quibus nec veri, nec vetuſtatis ulla ſe offert commendatio. Poterat id ex MINERVE imo ex inuſitata forma, & laurea conjicere, quam ne Aſiaticus quidem nummus illi tribuit, etſi de ea ipſe mente admodum læva garriat, præcipue errans, quum eam civicam judicat, in qua nihil querneis ſimile foliis apparet. Ut maxime miror hoc mendaci commento etiam illuſtrari voluiſſe introitum editionis Grævianæ epiſtolarum, quas ad varios ſcripſit Tullius. *Hæc* Cl. V. Jacobus Gronovius *& docte, more ſuo, & ſevere.*

pellatus sit, & a Senatu Romano *supplicationes* absenti decretæ sint, quod *Sepyram*, (1) *Commorin* & *Oppidum* (2) *Eleutherocilicum Pindenissum*, magna hostium multitudine occisa, cepisset, *Tibaranosque* in deditionem accepisset. Qua de re ipse *Cicero* in epistola ad *M. Cælium Rufum*, quæ libri secundi Epistolarum ad Familiares est decima, sic scribit: *Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, divisus aquarum divortiis, Cassius noster, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem rejecerat. Bibulus provinciam acceperat. Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos: multi occisi, capti, reliqui dissipati: castella munita improviso adventu capta & incensa. Ita victoria justa IMPERATOR appellatus apud Issum, (quo in loco sæpe, ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum) adduxi exercitum ad infestissimam Ciliciæ partem. Ibi quintum vicesimum jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam Oppidum munitissimum Pindenissum, tantis operibus tantoque negotio, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen Oppidi: quod si, ut spero, cepero, tum vero literas publice mittam.* Hæc ipse *Cicero* ad *M. Cælium.* Multo autem prolixius idem de eodem argumento agit in epistola ad *M. Porcium Catonem*, quæ libri decimi quinti Epistolarum ad Familiares est quarta, ubi inter cætera etiam *Pindenissi* expugnationem narrat his verbis: *Eranam, quæ fuit non Vici instar, sed Vrbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram & Commorin acriter & diu repugnantibus, Pomtino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus: Castellaque sex capta; complura incendimus. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum; & in reliquis Amani delendis, agrisque vastandis, quæ pars ejus montis meæ Provinciæ est, id tempus omne consumpsimus. Confectis his rebus ad OPPIDVM ELEVTHEROCILICVM PINDENISSVM exercitum adduxi: quod cum esset altissimo & munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne Regibus quidem unquam paruissent; cum & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum acerrime exspectarent, ad existimationem Imperii pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam, quo facilius etiam cæterorum animi, qui alieni essent ab Imperio no-*

(1) *Ita legitur in accuratissima* Operum Ciceronis *editione* Gruteriana Hamburgensi, *nempe* Comorin *non autem, uti legitur supra citato loco apud* Fulvium Ursinum, Geminorim.

(2) *In supra citata Familiarum Romanarum* Fulvii Vrsini *utraque editione, nempe tum* Parisiensi *quam* Romana, *perperam legitur Ciceronem cepisse* Eleutherocilicum & Pindenissum; *quasi vero* Eleutherocilicum *sit nomen alicujus Vrbis. Revera enim illud est genitivus pluralis a nominativo* Eleutherocilices, *quorum oppidum fuit* Pindenissus, *ut ipse testatur* Cicero *epist. 4. lib. 15. ad familiares.* Eleutherocilices *autem eodem modo & sensu vocati sunt in* Cilicia, *uti* Eleutherolacones in Laconica.

noſtro, frangerentur. Vallo & foſſa circumdedi. ſex caſtellis caſtriſque maximis ſepſi: aggere, vineis, turribus oppugnavi: uſuſque tormentis multis, multis ſagittariis, magno labore meo, ſine ulla moleſtia ſumptuve ſociorum, ſeptimo quinquageſimo die rem confeci, ut omnibus partibus Vrbis diſturbatis aut incenſis, compulſi in poteſtatem meam pervenirent. His erant finitimi pari ſcelere & audacia Tibarani: ab his, Pindeniſſo capto, obſides accepi: exercitum in hiberna dimiſi. Hæc *Cicero*, ad *Catonem* de expugnatione *Pindeniſſi*. Et certe, quemadmodum illi ob has res geſtas *ſupplicationes* abſenti decretæ ſunt, ita ſine dubio etiam obtinuiſſet & egiſſet *Triumphum*, niſi reditus ejus in tempora Belli civilis inter *Cæſarem* & *Pompejum* incidiſſet. Quocirca valde veriſimilis mihi videtur conjectura *Fulvii Vrſini*, (1) qui ad jam memoratas *Ciceronis* res in *Cilicia* geſtas pertinere exiſtimat aliud quoddam Numiſma itidem argenteum, in quo, uti non ſolum apud ipſum, verum etiam apud *Abrahamum Gorlæum* (2) videre eſt, ab una parte cernitur *Victoria in quadrigis, ſiniſtra manu palmam ſimul atque Coronam lauream tenens, cum nota denarii X ſub equis*, & cum hac Inſcriptione M. TVLLI.; ab altera autem *caput Romæ galeatum* cum Inſcriptione ROMA: uti luculentius patet ex apographo, quod ſecundum editionem *Vrſinianam* hic inſerui. (*) Et hæc quidem hactenus de *Ciceronis Corona laurea triumphali*, quam in *Cilicia* armis promeruit. De altera autem ejuſdem *Corona*, nempe *Civica* (**), qua propter inveſtigationem, patefactionem & oppreſſionem *conjurationis Catilinariæ*, tanquam *ob cives ſervatos*, dignus judicatus eſt, extat inſigne ipſius teſtimonium in Oratione contra *L. Calpurnium Piſonem* his verbis: *Ego L. Catilinam, cædem Senatus; interitum Vrbis, non obſcure, ſed palam molientem, egredi ex Vrbe juſſi; ut, a qua legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus: ego tela extremo menſe Conſulatus mei intenta jugulis Civitatis de conjuratorum nefariis manibus extorſi: ego faces, jam accenſas ad hujus Vrbis incendium, comprehendi, protuli, exſtinxi. Me Q. Catulus, princeps hujus Ordinis & auctor publici Conſilii, frequentiſſimo Senatu, PARENTEM PATRIÆ nominavit: mihi hic Vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus CIVICAM CORONAM deberi a Republica dixit: mihi togato Senatus, non ut multis bene geſtæ, ſed, ut nemini, CONSERVATÆ REIPVBLICÆ, ſingulari genere ſupplicationis, Deorum immortalium Templa patefecit.* Hæc ipſe *Cicero* de *Corona* ſua *Civica*. Meminit ejuſdem rei *Aulus* quoque *Gellius* Noctium Atticarum lib. 5. cap. 6. his verbis: *CI-*

VI-

(1) *In Opere de* Familiis Romanis, *ubi agitur de Gente* Tullia.

(2) *In* Theſauro Numiſmatum Romanorum, *ubi agitur de Gente* Tullia.

(**) Coronæ Civicæ *imaginem, quæ hic inſerta eſt, deſumpſi ex* Gotſchalci Stewechii *Commentario ad caput ſeptimum Libri ſecundi* Flavii Vegetii *de Re militari. Vide etiam aliam in antiquo Numiſmate* Imp. Auguſti *inter Numiſmata, cura & impenſis* Caroli, *Ducis Croyiaci & Arſchotani, congeſta atque inciſa. Tab. XIV. num. 23.*

* pag. 484.



Corona Civica in Numismate Imp. Augusti apud Carolum Ducem Croyiaci Tab. XIV num. 23.

Corona Civica in Numismate Imp. Claudij apud Carolum Ducem Croyiaci Tab. XIX num. 2



VICA CORONA appellatur, quam civis civi, a quo ſervatus eſt in prælio, teſtem vitæ ſalutiſque perceptæ, dat. Ea fit e fronde QVERNA, quoniam cibus victuſque antiquiſſimus querceus capi ſolitus ſit. Fit etiam ex ilice, quod genus ſuperiori proximum eſt; ſicuti ſcriptum eſt in quadam Comœdia Cæcilii:

Advehuntur cum ILIGNEA CORONA & chlamyde: Dii veſtram fidem.

Maſſurius autem Sabinus in XI. librorum memorabilium CIVICAM CORONAM tum dari ſolitam dicit, cum is, qui civem ſervaverat, eodem tempore etiam hoſtem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat: aliter Jus civicæ Coronæ negat conceſſum. Tiberium tamen Cæſarem conſultum, an civicam Coronam capere poſſet, qui civem in prælio ſervaſſet, & hoſtes ibidem duos interfeciſſet, ſed locum, in quo pugnabat, non retinuiſſet, eoque loco hoſtes potiti eſſent, reſcripſiſſe dicit, eum quoque CIVICA dignum videri, quod appareret, e tam iniquo loco civem ab eo ſervatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit. Hac CORONA CIVICA L. Gellius, Vir Cenſorius, in Senatu CICERONEM Conſulem donari a Republica cenſuit, quod ejus opera eſſet atrociſſima illa Catilinæ conjuratio detecta vindicataque. Hucuſque *A. Gellius.* Si quis jam ex me ſcire cupiat, utram ego *Coronam* in ſupra memoratis duobus *Ciceronis* antiquis Numiſmatibus argenteis ſignificari exiſtimem, conſtanter affirmare auſim, *Civicam* potius *querneam*, quam *Triumphalem lauream.* Hoc enim, ut alias ab *averſa* (1) Numiſmatum illorum *parte* deſumptas rationes omittam, ipſe innuit *Cicero* celeberrimo illo, ex tribus ejus libris, quos de *Conſulatu ſuo* carmine latino compoſuerat, deſumpto *verſu.*

CEDANT ARMA TOGÆ,
CONCEDAT LAVREA
LINQVÆ:

quippe quem in ſupra citata Oratione contra *Piſonem*, & libro primo *de Officiis* ita interpretatur, ut manifeſte pateat, *Coronæ Civicæ Coronam Triumphalem* ab ipſo poſthaberi. *Cum*, inquit, (2) *plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hæc opinio. Multi enim bella ſæpe quæſiverunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis ingeniiſque plerumque contingit; eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem ſi volumus judicare, multæ res extiterunt urbanæ majores clarioreſque, quam bellicæ. Ut enim alios omittam, nobis Rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere, neque enim in Republica periculum fuit gravius unquam, nec majus odium. Ita conſiliis diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ceciderunt. Quæ res igitur geſta unquam in bello tanta?*

(1) *Cernitur enim ibi* Minerva inermis *abſque haſta, ſcuto ac galea.*

(2) *Lib. 1. de Offic. cap. 22. edit. Gruter.*

ta? qui Triumphus conferendus? Hæc ipse *Cicero* de *Coronæ civicæ* præcellentia. Quam eandem confirmat *Seneca* libri primi de *Clementia* capite ultimo his verbis: *Felicitas illa, multis salutem dare, & ad vitam ab ipsa morte revocare & mereri clementia CIVICAM. Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa Corona OB CIVES SERVATOS: non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia.* Hucusque *Seneca.* Multo autem plura de ejusdem *Coronæ* origine, usu, & dignitate extant apud *Carolum Paschalium* eruditissimi Operis de *Coronis* libro VII. cap. 8. 9. 10. 11. & 12.; ubi totum illud argumentum accuratissime pertractatur, & in primis recte monetur, e prisca institutione scrupulose servatum fuisse, ut *quercus* ad hunc usum eligeretur, quæ *glandem* haberet *optimam atque grandissimam*, nempe ut ea in circuitu *Coronæ* maxime esset conspicua, quemadmodum ex imagine ejus (1) supra inserta videre est. *Tertio* notandum est, *Minervam*, quæ in *averso* eorundem duorum Numismatum argenteorum latere cernitur, sine dubio exemplar esse celeberrimi istius *Signi Minervæ*, quod *Cicero* domi suæ religiosissime coluit, & anno Vrbis conditæ DCXCVI. priusquam exsilii causa ex Vrbe discederet, in *Capitolium* transtulit, ibique dedicavit cum hac Inscriptione: MINERVAE CVSTODI VRBIS; ut *Plutarchus* in Vita ipsius testatur his verbis: Ταῦτ' ἔδοξε Κικέρωνι· καὶ

A τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, εἰς Καπιτώλιον κομίζας ἀνέθηκεν, ἐπιγράψας, ΑΘΗΝΑ ΡΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙΔΙ. πομπὴς δὲ παρὰ τῶν φίλων λαβὼν, περὶ μέσας νύκτας ὑπεξῆλθε τῆς πόλεως. Hoc est. *Hoc consilium* (videlicet discedendi ex urbe) *Cicero secutus est, ac Signum MINERVÆ, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit cum hac Inscriptione: MINERVÆ VRBIS ROMÆ CVSTODI. Deinde accepto ab amicis præsidio, clam concubia nocte discessit ex Vrbe.* Item *Dio Cassius* Histor. Rom. lib. 38. περὶν δὲ δὴ ἀφορμῆσαι, ἔς τε τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἀγαλμάτιόν τι ΑΘΗΝΑΣ ἀνέθηκε, ΦΥΛΑΚΙΔΑ αὐτὴν ὀνομάζας. H. e. *Prius quam discederet, in Capitolium ascendens simulachrum quoddam MINERVÆ, quam CVSTODEM appellabat, consecravit.* Idem confirmat ipse *Cicero* libro secundo *de Legibus* his verbis: *Omnia perditorum civium scelere, discessu meo, religionum jura polluta sunt: vexati nostri Lares familiares: in eorum sedibus exædificatum Templum Licentiæ: pulsus a delubris is, qui illa servarat. Circumspicite celeriter animo, (nihil enim attinet quenquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui ILLAM CVSTODEM VRBIS, omnibus ereptis nostris rebus ac perditis, violari ab impiis passi non sumus, eamque ex NOSTRA DOMO in IPSIVS PATRIS DOMVM*

detu-

(1) *Vide supra pag. 484.*

detulimus, judicia Senatus, Italiæ, Gentium denique omnium, conservatæ Patriæ consecuti sumus: quo quid accidere potuit homini præclarius? Hæc ipse *Cicero.* Vbi sine dubio per *illam Custodem Vrbis* eadem supra memorata intelligitur MINERVA, per *Patris* autem *ipsius Domum Capitolium* & *Templum Jovis Capitolini*, quippe quoniam *Minerva* pro *filia Jovis* habita est. Nec alia quoque significatur *Minerva* in fine Orationis *pro Domo ad Pontifices*, ubi eam invocat hoc modo: *Quocirca te*, (Jupiter) *Capitoline, quem propter beneficia Populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit, teque, Juno Regina, & te, CVSTOS VRBIS MINERVA, quæ semper ADIVTRIX CONSILIORVM MEORVM, TESTIS LABORVM exstitisti, precor ac quæso*, &c. Minime autem dubito, quin *Cicero* hanc suam *Minervam* appellaverit *Custodem Vrbis* ad imitationem cum aliorum (1) *Græcorum*, tum vero præcipue *Lacedæmoniorum*, qui eam eodem sensu vocarunt Ἀθηνᾶν πολιοῦχον; ut testatur *Pausanias* libro tertio Descriptionis Græciæ antiquæ, *Laconica* inscripto, his verbis: Λακεδαιμονίοις δὲ ἡ ἀκρόπολις μὲν ἐς ὕψος περιφανὲς ἐξίσχουσα οὐκ ἔστι καθὰ δὴ Θηβάιοις τε ἡ Καδμέια, καὶ ἡ Λάρισσα Ἀργείοις. ὄντων δὲ ἐν τῇ πόλει λόφων καὶ ἄλλων, τὸ μάλιστα ἐς μετέωρον ἀνῆκον, ὀνομάζουσιν Ἀκρόπολιν. ἐνταῦθα ἈΘΗΝᾶΣ ἱερὸν πεποίηται, ΠΟΛΙΟΥΧΟΥ καλουμένης καὶ Χαλκιοίκου τῆς αὐτῆς. τοῦ δὲ ἱεροῦ τῆς κατασκευῆς Τυνδάρεως (κατὰ λέγουσιν) ἤρξατο. H. e. *Lacedæmonii Arcem in excelso exstructam loco, uti Cadmeam Thebani, aut Argivi Larissam, non habent: sed cum in Vrbe multi sint colles, eorum eminentissimum Arcem appellant. In eo MINERVÆ Templum est, quam POLIVCHAM sive CVSTODEM VRBIS, &, quoniam templum ex ære est, Chalciœcam cognominant. Ejus ædificationem Tyndareus orsus est.* Hæc *Pausanias.* Quamobrem valde miror, quod *Plutarchus* & *Dio Cassius* (2) supra citatis locis Inscriptionem *Ciceronis* latinam MINERVAE CVSTODI VRBIS græce verterint ἈΘΗΝᾶ ΦΥΛΑΚΊΔΙ ΤΗ͂Σ ΠΌΛΕΩΣ, cum tamen, ut ex jam citato *Pausaniæ* loco apparet, veterum *Lacedæmoniorum* autoritate & exemplo paulo brevius multoque elegantius potuissent reddere ἈΘΗΝᾶ ΠΟΛΙΟΥΧΩ. Cæterum stetit *Ciceronianum* illud *Minervæ Signum* in *Capitolio* incolume usque ad annum Vrbis conditæ DCCX. (3) *C. Julio Cæsare V & M. Antonio Consulibus:*

(1) *Vide* Aristophanis Comœdiam, Ἱππεῖς *sive* Equites *inscriptam*, *ubi* Minervam Atticam *invocat hoc modo*: Ω πολιοῦχε Παλλάς *&c. Quæ verba latina Interpres perperam vertit* Casta Minerva, *cum revera debuisset vertere* Custos Vrbis Minerva. *Vsus autem sum, dum hæc scriberem, editione* Comœdiarum Aristophanis *græco-latina, ab* Æmilio Francisci Porti *Cretensis filio Aureliæ Allobrogum sive Genevæ typis Caldorianis A. 1607. publicata in folio. Consule etiam* Lilii Gregorii Gyraldi *Syntagma undecimum Historiæ Deorum Gentilium, quo agitur de* Minerva.

(2) *Vide supra pag. 487. & 488.*

(3) *Eodem anno* C. Julius Cæsar *tunc* quintum & Dictator & Consul, *Idibus Martiis in Curia Pompeji a conjuratis occisus est, ejusque loco Consulatum tanquam suffectus iniit* P. Dolabella.

bus : ſub cujus finem cum prodigioſa turbinis vi dejectum & confractum eſſet, ſequenti mox anno DCCXI. *C. Vibio Panſâ & A. Hirtio Conſulibus*, qui ætatis *Ciceronis* fuit *ſexageſimus quartus* & ultimus, ex Senatus conſulto reſtitutum eſt; ut ipſe refert *Cicero* in epiſtola ad *Cornificium*, quæ libri duodecimi ad Familiares eſt vigeſima quinta, his verbis : *Quinquatribus frequenti Senatu cauſam tuam egi non invita Minerva. Etenim eo ipſo die Senatus decrevit, ut MINERVA NOSTRA CVSTOS VRBIS, quam turbo dejecerat, reſtitueretur.* Hæc *Cicero.* Quod autem jam memorata iſtius *Signi Minervæ* per turbinem *dejectio* inter prodigia numerata, & miſerabilem ipſius *Ciceronis* interitum, qui ſupra dicto anno DCCXI. (1) *VII. Idus Decembris* ſubſecutus eſt, præſignificaſſe credita ſit, teſtatur *Dio Caſſius* Hiſtor. Rom. lib. 45. his verbis: κεραυνοί τε παμπληθεῖς ἔπεσον, καὶ τινες ἀυτῶν καὶ ἐς τὸν νεὼν τὸν τῷ Διΐ τῷ Καπιτωλίνῳ ὂν τῷ Νικαίῳ ὄντα κατέσκηψαν. καὶ πνεῦμα μέγα ἐπιγενόμενον τάς τε στήλας τὰς περὶ τὸ Κεφάλιον καὶ περὶ τὸν τῆς Πίστεως νεὼν περισεπηγύιας ἀπέρρηξε καὶ διεσκέδασε, καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς ΑΘΗΝΑΣ ΤΗΣ ΦΥΛΑΚΙΔΟΣ, ὃ πρὸ τῆς φυγῆς ὁ ΚΙΚΕΡΩΝ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνετίθει, κατέβασε καὶ κατέθραυσε· καὶ τοῦτο μὲν καὶ αὐτῷ τῷ ΚΙΚΕΡΩΝΙ τὸν ὄλεθρον προεδήλωσε. H. e. *Fulmina permulta deciderunt, quorum nonnullis Cella Jovis Capitolini, quæ erat in Templo Victoriæ, tacta eſt: ventus etiam vehemens coortus columnas, quæ poſitæ erant circa Famum Saturni & Fidei, evulſit ac diſſipavit; Statuam quoque MINERVÆ CVSTODIS, quam ante exſilium ſuum CICERO in Capitolio collocaverat, dejecit ac confregit; quo quidem ipſius Ciceronis interitus præſignificatus eſt.* Hæc Dio Caſſius. Item Julius Obſequens in libro de Prodigiis : *M. Antonio, (2) P. Dolabella Conſulibus, terræ motus crebri fuerunt; fulmine navalia pleraque tacta. Turbinis vi SIMVLACRVM, quod M. CICERO plebis ſcito ante Cellam MINERVÆ, pridie quam in exſilium iret, poſuerat, diſſipatum membris pronum jacuit; fractis humeris, brachiis, capite, dirum ipſi CICERONI portendit.* Hucuſque *Julius Obſequens.* Quod jam porro ad ejuſdem *Minervæ Imaginem*, quæ in *duorum* (3) ſupra memoratorum veterum *Numiſmatum Ciceronianorum* averſo latere exhibetur, attinet, multum ea, ut cuilibet videre licet, a *vulgaribus Minervæ Simulacris* diſcrepat, & *Platonicam* redolens *Academiam*, tota myſtica eſt atque ſymbolica. Nulla enim hic *galea*, nulla *haſta*, nullus *clypeus*, nulla *Victoriola*, nulla *laurea*, ſed *virgo* cernitur prorſus *inermis*, *ſeminuda*, & inferiores tantum corporis partes *peplo* tecta, quæ *ſellæ inſidet*, eidemque *ſiniſtro brachio* innititur, *dextra* autem *manu* tenet

Ima-

(1) *Vide* Franciſci Fabricii *Hiſtoriam Vitæ* Ciceronis *A. V. C. DCCX. Sequitur enim is ibi Chronologiam Rerum Romanarum* Verrianam; *ego autem* Varronianam, *Vide lib. 2. Hiſtoriæ meæ Literariæ cap. 9. pag. 202.*

(2) *Is* C. Julio Cæſari, *in Conſulatu quinto A. V. C. 710. occiſo, ſuffectus eſt.*

(3) *Vide ſupra pag. 484.*

Imagunculam *Naturæ rerum multis mammis præditæ*, & a tergo adſtantem habet *Tripodem*, in quo *ignis ſacer* accenſus eſt. Perſuaſiſſimum autem habeo, *Ciceronem* ſub nomine & figura hujus *Minervæ* nihil aliud intellexiſſe & coluiſſe, quam *Sapientiam atque Providentiam Supremi Numinis Divini*, cujus omnipotenti diſpoſitioni atque regimini omnia ſubjecta ſunt. Fabulantur enim Poëtæ, Minervam abſque matre natam eſſe ex *cerebro Jovis*, ideoque eam (1) Κορυφαγένην cognominant. Quod figmentum *Lucianus* quidem more ſuo deridet in peculiari quodam *Dialogo*, in quo *Jovem* introducit parturientem, & petentem a *Vulcano*, ut ſecuri caput ſibi aperiat, & quaſi obſtetrix partus onere ſe liberet; *Philoſophi* autem *Platonici*, detracto fabulæ vili in volucro, *Jovem* hunc recte vocant (2) Θεὸν τῶν Θεῶν, καὶ ἓ εἶναι τοῖς ἓσιν αἴτιον, hoc eſt, *Deum Deorum*, ſive *unicum Supremum* Devm, *omniumque Entium Autorem. Minervam* autem, quæ ex cerebro ipſius nata perhibetur, interpretantur (3) τὴν θείαν Σοφίαν καὶ Πρόνοιαν, καὶ ἀρετῶν παζῶν πρωτουργὸν αἰτίαν, hoc eſt, *Divinam Sapientiam & Providentiam, Virtutumque omnium Cauſam primariam:* uti paſſim videre eſt apud *Proclum* in libris ſex de *Theologia Platonica;* ut & apud *Porphyrium* in Explicatione deſcriptionis *Antri Nympharum* in Inſula *Ithaca*, quam *Homerus* libro XIII. *Odyſſeæ* orditur his verbis:

Αὐτὰς ἐπὶ κρατὸς λιμνῷ τανύφυλλος ἐλαίη·
Ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον ἠερόεις.

Hoc eſt:

Stat ramis diffuſa in Portus vertice Oliva,
Quam propter jucundum Antrum obſcurumque recedit.

Λείπεται δή, inquit *Porphyrius*, παρασῆσαι τὸ τῆς πεφυτευμένης ἐλαίας σύμβολον, ὅ τί ποτε μηνύει· καί τοι αὕτη καὶ περιττότερόν τι παρίσησιν· οὐχ ἁπλῶς παραπεφυτεῦσθαι εἰρημένη, ἀλλ' ἐπὶ κρατός· Ἔστι δ' οὐχ, ὡς ἄν τις νομίσειεν, ἀπὸ τύχης τινὸς ὅτω βλασήσασα, ἀλλ' αὐτὴ συνέχουσα ἓ ἄντρου τὸ αἴνιγμα· ἐπεὶ γὰ ὁ κόσμος οὐκ εἰκῆ, οὐδ' ὡς ἔτυχε γέγονεν, ἀλλ' ἔστι φρονήσεως Θεοῦ καὶ νοερᾶς Φύσεως ἀποτέλεσμα· ὡσαπεφύτευται τῇ εἰκόνι ἓ κόσμου τῷ ἄντρῳ σύμβολον ΦΡΟΝΗΣΕΩΣ ΘΕΟΥ̃ ἡ ἐλάια· ΑΘΗΝΑ̃Σ μὲν γὰ τὸ φυτόν· ΦΡΟΝΗΣΙΣ δὲ ἡ ΑΘΗΝΑ̃. (4) Κρατογενὲς δὲ ἕξις τῆς Θεοῦ, οἰκεῖον. τόπον ὁ Θεολόγος ἐξεῦρεν, ἐπὶ κρατὸς ἓ λιμνῷ αὐτὴν καθιερώσας· σημαίνων δι' αὐτῆς, ὡς οὐκ ἐξ αὐτοματισμοῦ τὸ ὅλον τοῦτο, καὶ τύχης ἀλόγου ἔργον γέγονεν, ἀλλ' ὅτι Φύσεως νοερᾶς καὶ ΣΟΦΙΑΣ ἀποτέλεσμα. χωρησῆς μὲν ὅσης ἀπ' αὐτοῦ, πλησίον δὲ κῆ τῆς κεφαλῆς ἓ σύμ-

(1) *Eodem ſenſu vocatur etiam a* Porphyrio *in libello de Antro Nympharum* κρατογενής.

(2) *Vide* Proclum *in Platonis Theologiam lib. 5. cap. 21. pag. 291. & lib. 6. cap. 11. pag. 371. editionis* Æmilii Porti *græco - latinæ Hamburg. A. 1618. in fol.*

(3) *Vide jam citatum* Proclum *Theologiæ Platonicæ lib. 1. cap. 21. pag. 58. 59. lib. 5. cap. 20. pag. 290. & lib. 6. cap. 11. pag. 372. 373. & paſſim alibi.*

(4) Κρατογενὴς *vocatur hic Minerva eodem modo, uti alias* κορυφαγένη. *Vide ſupra pag. 493.*

σύμπαντος λιμένος ἱδρυμένης. Hoc est, avunculo meo *Luca Holstenio* interprete: *Reliquum est, ut, quid olivæ adnascentis symbolum sibi velit, porro exponamus. Egregium enim aliquid significare videtur, cum non simpliciter adnasci, sed ad caput seu verticem nasci dicatur. Ea autem non fortuito, ut quis forte existimaverit, ita enascitur, sed occultam Antri significationem complectitur. Cum enim mundus non temere & casu extiterit, sed SAPIENTIÆ DEI & intellectualis Naturæ sit opificium, Antro, quod Mundi imaginem gerit, Oliva apponitur, SAPIENTIÆ DIVINÆ symbolum. Nam MINERVÆ planta est: MINERVA autem SAPIENTIA. Quæ cum ex Dei vertice nata sit, proprium ei locum Homerus, tanquam Theologiæ gentilis peritus, reperit, dum in ipso Portus vertice consecrat: significans ea ipsa, universum hoc non motus temerarii nec fortuiti casus opus esse, sed Naturæ intellectualis & SAPIENTIÆ absolutissimum artificium; quæ ab ipso quidem opere separata, prope tamen in capite Portus Vniversi sita est.* Hæc *Porphyrius.* Cui adstipulatur *Phurnutus*, seu potius *Cornutus*, in Libro *de Natura Deorum gentilium*, ubi caput vigesimum περὶ τῆς Ἀθηνᾶς, sive *de Minerva* inchoat his verbis: Ἡ δ' Ἀθηνᾶ ἐστιν ἡ τοῦ ΔΙΟΣ ΣΥΝΕΣΙΣ, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν αὐτῷ ΠΡΟΝΟΙΆ, καθὸ καὶ ΠΡΟΝΟΙΆΣ ἈΘΗΝᾶΣ ἱδρύονται ναόι. γενέσθαι δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς λέγεται, τάχα μὲν τῶν ἀρχαίων ὑπολαβόντων τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς ἐντεῦθεν, καθάπερ καὶ ἕτεροι τῶν μετὰ ταῦτα ἔγνωσαν. Hoc est, *Conrado Clausero Tigurino* interprete: *Minerva JOVIS est INTELLECTVS, qui idem esse fertur cum PROVIDENTIA, quæ in ipso sita est. Hinc in honorem MINERVÆ Templa* (1) *PROVIDENTIÆ posita esse constat. Prognata ea est e cerebro Jovis, nimirum quod veteres in ea corporis parte totius animæ regimen esse voluerunt; quam sententiam tenent etiam recentiores.* Hæc *Phurnutus* seu potius *Cornutus.* Eodem quoque sensu *Callimachus Cyrenæus* sub finem Hymni *in Lavacrum Minervæ* ait, quæcunque *Minerva* nutu suo approbat & affirmat, æque rata ac firma esse, quam si *Jupiter* ipse annuisset. Ipsi ejus versus sunt hi:

Ὣς φαμένα κατένευσε. τὸ δ' ἐντελὲς ᾧ κ' ἐπινεύσῃ
Παλλάς. ἐπεὶ μώνᾳ Ζεὺς τόγε θυγατέρων
Δῶκεν Ἀθαναίᾳ, πατρώϊα πάντα φέρεσθαι.
(2) Λωτροχόοι, μάτηρ δ' οὔτις ἔτικτε Θεάν·
Ἀλλὰ Διὸς κορυφά. κορυφά Διὸς ᾧ κ' ἐπινεύσῃ,
Ἔμπεδον, ὡσαύτως ᾧ κεν ἑὰ θυγάτηρ.

Hoc

(1) *Hinc patet etiam* Numismata *antiqua, in quibus PROVIDENTIA DEORVM,* Orbem virga regens *aut* manu gestans *cernitur, ad* Minervam *pertinere. Vide Numismata* Ducis Croyiaci *Tab. 38. num. 4. & Tab. 57. num. 11.*

(2) Λωτροχόος *in genere fœminino idem hic est atque germanice* eine Badschöpfferin. *Latine autem minus proprie vertitur* Lotrix.

Hoc est, *Nicodemo Frischlino* interprete:

Sic ait, & nutu firmat: nam si cui Pallas
Annuit, id debet firmiter esse ratum.
Natarum hoc soli Pater, omnia ferre paterna,
Concessit: nulla nam Dea matre sata est;
Sed Jovis e cerebro. Cerebrum Jovis omnia nutu
Firma, suoque simul cum Patre nata facit.

Hucusque *Callimachus*. Consulendus insuper est *Lilius Gregorius Gyraldus* Historiæ Deorum gentilium Syntagmate undecimo de *Minerva*; item *Augustinus Steuchus Eugubinus* de Perenni Philosophia lib. 2. cap. 6. & R. P. *Athanasius Kircherus* Obelisci Pamphilii lib. 3. cap. 7. 8. & 9. ubi agit de ISIDE MINERVA, eamque apud *Ægyptios* nihil aliud significasse demonstrat, quam *æternam Dei sapientiam & Providentiam*. Hæc igitur est illa MINERVA, CVSTOS non solum VRBIS *Romæ* & *totius Terrarum* ORBIS, verum etiam *universi* MVNDI, quam *Cicero* in (1) supra citato Orationis *pro Domo sua* fragmento *perpetuam consiliorum suorum Adjutricem & Testem laborum* nuncupat; ideoque ea non immerito etiam in (2) supra memoratis *duobus Numismatibus* ipsius *argenteis* repræsentata cernitur, & quidem *inermis* atque *sedens*, ut hoc ipso habitu & gestu significetur, eandem quoque esse PRÆSIDEM (3) PACIS ET CONSERVATRICEM (4) SECVRITATIS PVBLICÆ. *Imagunculæ* autem, quam *dextra* tenet *manu*, non est, ut quis forte crederet, (5) *Victoriola alata cum corona laurea*, vel (6) *noctua*, *vel* (7) *Palladium cum galea & hasta*, vel (8) *ramus olivæ cum fructu in apice*, sed (9) *Si-*

(1) *Vide supra pag. 489.*
(2) *Vide supra pag. 484.*
(3) *Hinc* Minerva *in nonnullis aliis antiquis Numismatibus, quæ eam itidem* seminudam *exhibent, vocatur* MINERVA PACIFERA; *uti videre est in Numismatibus* Ducis Croyiaci *Tab. LII. num. 23.*
(4) *Similiter enim* SECVRITAS PVBLICA *in antiquis Numismatibus repræsentatur* seminuda, sellæque insidens & eidem sinistro brachio innitens; *uti videre est in Numismatibus* Ducis Croyiaci *Tab XXV. num. 8.*
(5) *Vide Numismat.* Ducis Croyiaci *Tab. VI. num. 18.* & Abrah. Gorlæi *Dactyliothecam num. 27.* & *136. item* Huberti Goltzii *Numismata Græciæ passim.*
(6) *Vide* Wolfg. Lazii *Rer. Græcar. lib. 2. cap. 1.* & Ludovici Nonnii *Commentarium in* Huberti Goltzii *Numismata Græciæ, p. 84.* & *85. ubi agitur de* Athenis.
(7) *Vide* Justi Lipsii *Syntagma de Vesta & Vestalibus cap. 9.*
(8) *Vide Numismata* Ducis Croyiaci *Tab. LII. num. 23.*
(9) *Quale illud sit, indicabitur paulo post prolixius per* figuras æri incisas. *Eodem etiam modo repræsentabatur* Diana Ephesia, *ut videre est in Numismatibus* Ducis Croyiaci *Tab. XIX. num. XXII. idque confirmat* S. Hieronymus *in Prœmio Epistolæ ad* Ephesios *his verbis*: Dianam Ephesii colebant, non hanc venatricem, sed illam MVLTIMAMMIAM, quam Græci πολύμαστον vocant: ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum & viventium esse nutricem. *Hæc* S. Hieronymus. *Vide etiam* Minucii Felicis Octavium, & Ludov. Nonnii *Commentarium in* Huberti Goltzii *Numismata Græciæ, ubi agitur de* Dionysopoli.

Simulacrum Mundi & Naturæ rerum πολυμάστȣ, hoc est, *multis mammis præditæ*, sive, ut *S. Hieronym.* in prooem. Epist. ad Ephesios vertit, *multimammiæ*. Significatur enim hoc symbolo, totum *Mundum* & quicquid *Naturæ rerum* nomine comprehenditur, *Æternæ* Dei *Sapientiæ Providentiæque Opus* esse, & ab eadem sustentari, gubernari ac dirigi. Quamobrem etiam apud (1) *Ægyptios*, ut *Plutarchus* in libro *de Iside & Osiride*, & *Proclus* in Commentario in *Timæum Platonis* referunt, in *Templo* MINERVÆ, quæ eadem credebatur atque (2) ISIS, & peculiari nomine appellabatur (3) ΝΗΪ̈Θ sive NEITH, hæc legebatur Inscriptio: ᾿ΕΓΩ ᾿ΕΙΜῚ ΠΑ̃Ν ΤῸ ΓΕΓΟΝῸΣ, ΚΑῚ Ὂ̀Ν, ΚΑῚ ΕΣΌΜΕΝΟΝ. ΚᾺΙ ΤῸΝ ᾿ΕΜῸΝ ΠΈΠΛΟΝ ᾿ΟΥΔΕῚΣ ΠΩ ΘΝΗΤῸΣ ἈΠΕΚΆΛΥΨΕΝ. ῾ΟΝ ῎ΕΤΕΚΟΝ ΚΑΡΠῸΝ, ῞ΗΛΙΟΣ ᾿ΕΓΈΝΕΤΟ. Hoc est: EGO SVM OMNE QVOD FVIT, EST ET ERIT: MEVMQVE PEPLVM NEMO AADHVC MORTALIVM REVELAVIT: QVEM EGO FRVCTVM PEPERI, SOL FVIT. Hucusque antiqua illa *Templi Minervæ Saiticæ* Inscriptio. Cujus ultima verba, quibus magnum *Virginei Partus* mysterium continetur, doctissime explicant *Augustinus Steuchus Eugubinus*, Episcopus Kisamus, in præclaro Opere *de Perenni Philosophia* lib. 2. cap. 6. & *I. Fronto* Cancellarius Academiæ Parisiensis, in principio elegantissimæ Dissertationis *de Virginitate fœcunda*. Cæterum illud quoque consideratu dignum est, quod in iisdem *duobus* (4) supra memoratis *Numismatibus Ciceronianis* pone *sellam* symbolicæ istius *Minervæ* adstat *Tripos cum sacro igne accenso*. Is enim sine dubio haud alius est, quam *Vestalis* ille *ignis sempiternus*, cujus ipse meminit *Cicero* sub finem Orationis *pro Domo sua* his verbis: *Teque obtestor, VESTA* (5) *MATER, cujus castissimas Sacerdotes ab hominum amentia, furore & scelere defendi: cujusque IGNEM illum SEMPITERNVM non sum passus*

(1) *Et quidem in* Præfectura Saitica, *quæ sic vocatur a primaria Vrbe, cui nomen* Sais. *Hinc & ipsa illa Minerva recte cognominari potest* Saitica.

(2) *Testatur hoc* Plutarchus *in lib.* de Is. & Osir. *his verbis*: τὸ δ' ἐν Σάει τῆς Ἀθηνᾶς, ἣν καὶ Ἶσιν νομίζȣσιν, ἕδος ἐπιγραφὴν εἶχε τοιαύτην. *Hoc est*: Quod Sai est Minervæ, quam eandem cum Iside arbitrantur, Templum, hanc habebat Inscriptionem.

(3) *Testatur hoc* Plato *in principio* Timæi *his verbis*; Ἔστι τις κατ' Αἴγυπτον ἐν τῷ Δέλτα, περὶ ὃ κατὰ κορυφὴν σχίζεται τὸ τȣ̃ Νείλȣ ῥεῦμα, Σαϊτικὸς ἐπικαλȣ́μενος νομός· τȣ́τȣ δὲ τȣ̃ νομȣ̃ μεγίστη πόλις Σάϊς· ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεύς. ἡ τῆς πόλεως Θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα ΝΗ̈Ϊ̀Θ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, ᾿ΑΘΗΝΑ̃. *Hoc est*: Est Ægypti regio Delta, cujus e vertice scinduntur fluenta Nili. Ejus campi Saitica Præfectura nominantur: in quibus maxima Vrbs est, quæ Sais dicitur; unde Amasis fuit Rex. Vrbis hujus præses Dea Ægyptiace quidem NEITH, Græce autem, ut Ægyptiorum fert opinio, ATHENA, id est Minerva, appellatur. *Hæc* Plato. *Ad quem locum vide* Sebast. Foxii *Hispalensis doctissimum Commentarium in* Timæum.

(4) *Vide supra pag. 484.*

(5) *Similiter etiam* Vesta *cognominatur* Mater *in antiqua Inscriptione apud* Gruterum *pag. CXXI. Vide insuper I.* Frontonis *Dissertationem de* Virginitate fœcunda, & Lil. Greg. Gyraldi *Historiæ Deorum Syntagma IV. ubi agitur de* Vesta.

ſus, aut ſanguine Civium reſtingui, aut cum totius Vrbis incendio commiſceri, ut, &c. Hæc ipſe *Cicero*. Cum igitur *Veſtalis* ille *Ignis* in ſupra memoratis ejus Numiſmatibus *Minervæ*, Simulacrum *Mundi & Naturæ rerum* dextra manu tenenti, adjunctus ſit, idcirco veriſimillimum videtur, per eum ibi ſignificari (1) *igneam* illam *Mundi animam*, quam *Pythagorici* veteres *Univerſitati rerum* pro *centro* eſſe arbitrati ſunt. Inſignis ea de re extat locus apud *Plutarchum* in Vita *Numæ Pompilii* his verbis: Νȣμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρȣράν· ἀπομιμȣμένος ȣ̓ τὸ σχῆμα τῆς γῆς ὡς Ἑστίας ȣ̓σης, ἀλλὰ τȣ̃ ΣΎΜΠΑΝΤΟΣ ΚΌΣΜΟΥ, ȣ̃ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἵδρυσθαι νομίζȣσι, καὶ τȣ̃το Ἑστίαν καλȣ̃σιν καὶ μονάδα. τὴν δὲ γῆν ȣ̓τε ἀκίνητον, ȣ̓τε ἐν μέσῳ τῆς περιφορᾶς ȣ̃σαν, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ ἀιωρȣμένην, ȣ̓τε τῶν τιμιωτάτων, ȣ̓δὲ τῶν πραγμάτων τȣ̃ κόσμȣ μορίων ὑπάρχειν. ταῦτα δὲ καὶ Πλάτωνά φασι πρεσβύτην γενόμενον διανενοῆσθαι περὶ τῆς γῆς ὡς ἐν ἑτέρᾳ χώρᾳ καθεστώσης, τὴν δὲ μέσην καὶ κυριωτάτην ἑτέρῳ τινὶ κρείττονι προσήκȣσαν. Hoc eſt: *Ferunt Numam PERPETVO IGNI cuſtodiendo circumdediſſe TEMPLVM VESTÆ ROTVNDVM, non*

A *ut adſimilaret* (2) *TERRÆ figuram, tanquam ea VESTA eſſet, ſed VNIVERSI MVNDI, cujus MEDIVM Pythagorici ſedem IGNIS eſſe arbitrantur, atque id VESTAM & VNITATEM nuncupant. Terram autem neque immobilem eſſe credunt, neque in medio circuitus ſitam, ſed in gyro circum ignem ſuſpenſam, neque inter*
B *præcipuas aut primas Mundi partes cenſendam. Eadem quoque Platonem exiſtimant jam ſenem de Terra ſenſiſſe, tanquam in alio loco ſita; mediam autem digniſſimamque regionem alteri alicui præſtantiori convenire.* Hæc *Plutarchus*. Quibus illuſtrandis plurimum lucis affert *Ariſtoteles* lib. 2. de *Cælo* cap. 13. ubi eandem *Pythagoricorum* opinionem
C ſatis diffuſe proponit & examinat; item *Joannes Stobæus* Eclogarum Phyſicarum cap. 25. ubi inter alia de eodem argumento lectu digniſſima refert, *ignem* illum *medium* ſive *centralem* a *Philolao* Philoſopho Pythagorico appellatum eſſe ἑστίαν τȣ̃ Παντὸς, Διὸς οἶκον, μητέρα Θεῶν, (3) βωμόν τε καὶ συνοχήν, καὶ μέτρον φύσεως, hoc eſt, *focum Vniverſi,*
D *domum Jovis, matrem Deorum, baſinque & coagulum & menſuram Naturæ.* Huc quoque pertinet rariſſimum *Numiſma argenteum*, a

(1) *M.*

(1) *Vide* Auguſt. Steuchum Eugubinum de *perenni Philoſophia lib. 1. cap. 12.*

(2) *Vulgaris enim ea fuit opinio. Hinc* Euripides καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δὲ σ' οἱ σοφοὶ βροτῶν καλȣ̃σιν. *Hoc eſt: & Terra mater, quæ Veſta a ſapientibus nominaris. Item* Ovidius *Faſtor. lib. 6.* Veſta eadem eſt, quæ Terra: ſubeſt vigil ignis utrique ſignificant ſedem terra focuſque ſuam. Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa: Aëre ſubjecto tam grave pendet onus: Par facies Templi: nullus procurrit in illo Angulus: a pluvio vendicat imbre tholus. *Vide etiam* Natal. Comitis *Mythologiam lib. 8. cap. 19.*

(3) *De voce hac* βωμός, *quæ hic non* aram, *ſed* baſin *ſignificat, vide* Euſtachii *Commentarium in* Homerum *pag 226. 722. 1467. & 1570. editionis Romanæ.*

(1) *M. Tullio filio Cicerone*, (2) Triumviro monetali, cusum, quod apud *Fulvium Vrsinum* inter Imagines Virorum illustrium æri inciſas, & cum eorundem Elogiis Romæ A. 1570. in folio editas, pag. 80. extat, uti ex apographo hic inſerto videre eſt. (*) Cernitur enim in una ejus parte *Caput Veſtæ velatum*, cum hac Inſcriptione: VESTA. (3) AP. CLAVDI. C. F. PVLCHER; in altera autem *Templum Veſtæ rotundum*, a *Plutarcho* paulo ante memoratum, cum hac Inſcriptione: M. TVLLI. M. F. CICERO. IIIVIR. Ubi inprimis obſervatu dignum eſt, quod in *Veſtibulo rotundi* iſtius *Templi Veſtæ* idem illud ſpectatur *Simulacrum Naturæ rerum*, *extentis brachiis & expaſſis paulumque elevatis manibus*, quod in

(4) ſupra memoratis *duobus Ciceronis majoris* ſive *Patris Numiſmatibus* dextræ manui *Minervæ* impoſitum eſt (A). Negari equidem non poteſt, in *Templo Veſtæ* adſervatum fuiſſe *arcanum* illud & *fatale* IMPERII PIGNVS, Cœlo, ut (5) ferunt, delapſum, & poſt excidium *Trojæ* ab *Ænea* in *Italiam* translatum, quod vocarunt PALLADIVM, quoniam, teſte *Apollodoro*, referebat *Palladem quaſi ingredientem*, *dextraque haſtam ſublatam*, *ſiniſtra autem fuſum & colum tenentem:* at enimvero cuſtodiebatur id in *intimo Templi penetrali* adeo occulte & latenter, ut ne ipſi quidem *Pontifici Maximo*, ſed ſolis *Virginibus Veſtalibus* illud videre licuerit. Hinc *Lucanus* Pharſaliæ ſive de bello civili lib. IX. (6):

Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas
Æneæque mei, quos nunc Lavinia ſedes
Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis

(1) *Hic eſt* filius *ille* M. Tullii Ciceronis, *quem* Imp. Auguſtus, *poſt patris ipſius miſerabilem interitum, ut traditionis ejus dedecus a ſe averteret,* Ἱερέα *ſive* Pontificem *ſtatim creavit, nec multo poſt* Collegam in Conſulatu *aſſumpſit, fecitque* στρατηγὸν *ſive* Prætorem Syriæ; *ut refert* Appianus Alexandrinus *lib. 4. de Romanor. bellis civilibus; item* Plin. *Hiſt. Nat. lib. 22. cap. 6.* & Seneca *de Beneficiis lib. 4. cap. 30. ubi ſic exclamat:* Ciceronem filium, quæ res Conſulem fecit, niſi pater? *Vide etiam* Plutarchum *in Vita* Ciceronis *ſub finem. Quantum autem* Cicero *ille* Minor *ebrietati fuerit deditus, refert* Plinius *Hiſt. Nat. lib. 15. cap. 22. ubi ſcribit* eum binos congios ſimul haurire ſolitum. *Conſulendus etiam eſt* Seneca Rhetor *Suaſoria ſeptima, ubi narrat hiſtoriam de* Ceſtio *Prætore ab eodem* Cicerone minore *in convivio flagris cæſo, quod patrem ejus negaſſet ſciſſe literas.*

(2) *De his* Triumviris Monetalibus *vide* Ant. Auguſtini *Dialog. 1. de Antiquitatibus in Nummis veterum,* & Joan. Roſin. *Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 28.*

(3) *Ex ſynchroniſmo* Ciceronis minoris *ſive* filii *apparet,* Appium Claudium Pulchrum, *cujus in hoc Numiſmate fit mentio, illum eſſe, qui A. V. C. 716. fuit* Conſul *cum* C. Norbano Flacco. *Videtur autem hic* Ap. Claudius Ciceronis minoris Collega *fuiſſe* in Pontificatu, & Templum Veſtæ *ab illis aliqua ex parte refectum, vel ut* Fulvius Vrſinus *arbitratur, damnatis Virginibus inceſtus purgatum eſſe.*

(4) *Vide ſupra pag. 484.*

(5) *Vide* Apollodori Athenienſis Bibliothecam *ſive Opus de Origine Deorum lib. 3. fol. 120. editionis Romanæ græco-lat. An. 1555. in 8vo.*

(6) *Verſ. 990. & deinceps.*

(A) *Vaniſſimum hoc etiam Commentum eſt, & palmaris impoſtura vel a tyrone priſcarum literarum memoria noſtra haud ægre obſervanda. Vide præfationem* Jac. Gronovii, *ſuperiori adnotatione laudatam.*





ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ

** et *** pag. 506.




IVLIVS CAESAR
S.C

Ignis adhuc Phrygius, nullique adſpecta Virorum
PALLAS, in ABSTRVSO PIGNVS memorabile TEMPLO.

Diverſum ergo fuit hoc *Palladium* ſive Imago *Trojanæ*, ut jam citatus Lucanus (1) loquitur, *Minervæ* a *Simulacro Veſtæ* ſive *Naturæ rerum*, quod ſtetit palam & aperte in ejuſdem *Templi* (2) *Veſtibulo;* ut teſtatur (3) Autor Epitomes libri octogeſimi ſexti Hiſtoriæ Romanæ *T. Livii* his verbis: *L. Damaſippus Prætor ex voluntate C. Martii Conſulis, cum Senatum contraxiſſet, omnem, quæ in Vrbe erat, Nobilitatem trucidavit. Ex cujus numero Q. Mutius Scævola Pontifex Maximus fugiens, IN VESTIBVLO ÆDIS VESTÆ occiſus eſt.* Hæc Autor ille Epitomes Livianæ. Quod autem miſerabilis hic *Scævolæ* in *Veſtibulo Templi Veſtæ* interitus contigerit *ante ipſum Simulacrum Veſtæ*, ibidem collocatum, & quod illud *ſanguine ejus reſperſum ſit*, teſtatur *Cicero* lib. 3. de Oratore cap. 3. his verbis: *Quis non jure beatam L. Craſſi mortem illam, quæ eſt a multis ſæpe defleta, dixerit, cum horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremum fere collocuti ſunt, eventum recordatus? Neque enim propinquum ſuum, maximi animi Virum, Publium Craſſum ſuapte interfectum manu, neque Collegæ ſui, Pontificis Maximi, ſanguine SIMVLACRVM VESTÆ reſperſum eſſe vidit.* Item lib. 3. de Natura Deorum cap. 33. *Cur temperantiæ Prudentiæque Specimen ante SIMVLACRVM VESTÆ Pontifex Maximus eſt Q. Scævola trucidatus?* Hoc igitur *Simulacrum*, collocatum in *Veſtibulo Templi VESTÆ*, quam *Cicero*, tanquam eandem atque *Naturam rerum*, in ſupra citato Orationis *pro Domo ſua* fragmento, recte MATREM cognominat, illud ipſum eſſe arbitror, cujus exemplar cernitur in (4) ſupra exhibitis *Ciceronum Patris* & *Filii* Numiſmatibus. Quoniam autem illud ibi propter nimiam exiguitatem ſuam non ſatis clare & accurate exprimi potuit, lubet mihi hic inſerere *duas* ejuſdem *Simulacri Naturæ* πολυμάστου ſive (5) *Multimammiæ* figuras grandiores magiſque perſpicuas, quæ in *Jani Jacobi Boiſſardi* Antiquitatibus Romanis, Francofurti Anno 1597. impreſſis, extant hoc modo. (**) Mantiſſæ etiam loco iiſdem inſuper adjungo *tres* alias *figuras* (***), ex celeberrimi Antiquarii *Jacobi Stradæ* hactenus ineditis veterum Numiſmatum Voluminibus propria ipſius manu exaratis, quæ in (6) *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea adſervantur*, deſumptas: quarum *prima* exhibet

(1) *Lib. 1. verſ. 97. & 98.* Veſtalemque chorum ducit vitata Sacerdos, TROIANAM ſoli cui fas vidiſſe MINERVAM.

(2) In Veſtibulo *inquam* Templi Veſtæ *non autem* in ipſo Templo, *quippe quod, præter* Palladium *adyto ejus penitiſſimo abſconditum omni prorſus carebat ſimulacro, ut teſtatur* Ovidius *Faſtorum lib. 6. verſ. 295. & 296.* Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi: Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.

(3) *Creditur is vulgo* L. Annæus Florus, *ſed an vere, merito ambigitur. Vid.* Gerar. Joan. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. lib. 1. cap. 30.*

(4) *Vide ſupra pag. 479.*

(5) *Vide ſupra pag. 503.*

(6) *Vide Librum primum horum Commentariorum pag. 165. 169. & 170. item ſupra pag. 134.*

hibet DEAM CLAZOMENIORVM, *Simulacrum Naturæ* eodem modo dextra manu tenentem, uti *Minerva* in (1) supra insertis *duobus Ciceronianis Numismatibus; secunda* repræsentat *Tripodem cum sacro Igne Vestali*, quemadmodum supra in iisdem jam memoratis Numismatibus; *tertia* demum refert JVNONEM LVCINAM, dextra manu tenentem *Aquilam*, sinistro autem brachio *Infantem* fasciatum, uti eam *Romæ* in culmine seu tholo *Templi Vestæ* positam fuisse (2) nonnulli existimant. Quod superest, videtur nomen MINERVE, quod in aversо *Numismatis Ciceroniani* latere legitur, monetali laborare mendo, legendumque esse casu dativo MINERVAE (A). Quam frequenter enim hoc σφάλμα sive erratum in monumentorum veterum Inscriptionibus occurrat, ubertim videre licet in *Jani Gruteri* Indice Grammatico Syntagmatis Inscriptionum antiquarum inter exempla literæ E perperam usurpatæ pro Æ, & in *Claudii Dausquii* Orthographia Antiqui Novique Latii, Voluminis primi capite sexto, ubi agitur de autoritate veterum Inscriptionum in controversiis orthographicis. Et hæc quidem obiter sufficiant de *duobus* illis rarissimis maximique pretii *Numismatibus argenteis* (3) *Principis Eloquentiæ Romanæ & primi Patris Patriæ*, M. TVLLII CICERONIS: ex quorum contemplatione CÆSAR, cum IPSE, ut (4) supra narravi, die XIII. Octobris celeberrimam *Archiducalis Arcis Ambrasianæ Technothecam* perlustra-

(1) *Vide supra pag. 484.*

(2) *Vide* Lil. Greg. Gyraldum *Historiæ Deorum Syntagmate IV. de* Vesta, *pag. 147.* & I. Frontonis *Dissertationem* de Virginitate fœcunda.

(3) *Huc pertinet insigne illud* Ciceronis *elogium, quod extat apud* Plinium *Hist. Nat. lib. 7. cap. 30. his verbis:* Salve primus omnium Parens Patriæ appellate, primus in toga Triumphum linguæque Lauream merite, & facundia Latiarumque literarum Parens, atque, (ut Dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit,) omnium Triumphorum Lauream adepte majorem, quanto plus est, ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii.

(4) *Vide supra pag. 476.* & *477.*

(A) *In Appendice libri Commentariorum IV. palinodiam horum cecinit noster his verbis:* ADDITAMENTVM VI. pertinens ad Libri *secundi* pag. 740. ubi agitur *de duorum veterum Numismatum argenteorum M. Tullii Ciceronis Inscriptione MINERVE.* Existimavi olim, nomen MINERVE, quod in aversо *Numismatis Ciceroniani* latere legitur, monetali laborare mendo, legendumque esse casu *dativo* MINERVAE; nunc autem, mutata sententia, *nominativum* esse arbitror MINERVE pro MINERVA; quemadmodum supra in antiquo ethnicæ vetustatis Kalendario legitur *Natalis MINERVES* pro *Natalis MINERVÆ*, & *Natalis DIANES* pro *Natalis DIANÆ;* item in *Ausonii* Tetrastichis duodecim Mensium PAPHIE pro PAPHIA & VRANIE pro VRANIA. Similiter apud *Janum Gruterum* in Syntagmate Inscriptionum antiquarum pro *Oppia CASSIANA;* legitur *Oppia CASSIANE*, ibidemque plura occurrunt ejusdem generis exempla alia.

Hæc ille, Vetus illud Kalendarium edidimus in Analectis nostris *pag. 945. Ex quo, sequiori jam ævo scripto, quia* LAMBECIVS *argumentum sumit, luculente ostendit ipse, eum nummum Tulliani ævi esse non posse.* AUSONIUS Paphie *pro* Paphia scribens *Græcæ linguæ peritum se esse probavit, non item* LAMBECIVS, *dum* Minerve *pro* Minerva *probe summi posse contendit.*

ſtraret, ſingularem quandam percepit delectationem; ut & ex *tertio* quodam antiquiſſimo *Græco*, itidem *argenteo*, & hactenus ut ego arbitror, inedito, quod una cum *duobus* illis *Ciceronianis* in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* translatum eſt, & poſthac alio commodiori loco peculiari Diſſertatione a me explicabitur. Perluſtrata itaque *Technotheca*, cæteriſque ejuſdem *Arcis* admirandis, quæ in (1) *Hoplotheca* ſive *Armamentario* viſuntur, bene conſideratis, colophonem CÆSAR toti huic oblectamento impoſuit, ſpectando ante diſceſſum jam inſtantem *quinque* illas *Columnas milliarias*, quibus tanquam pretioſiſſimis venerandæ Antiquitatis reliquiis ipſa *Arcis area* exornata eſt (A). Præcipua earum maximeque legibilis, cujus exemplar (2) ſupra integrum exhibui, ſtetit ante portam *Cœnobii* (3) *Veldidenenſis* ſive *Wilden* juxta viam publicam uſque ad annum Chriſti 1587. quo illam Sereniſſimus Archidux *Ferdinandus*, Imp. *Ferdinandi I.* filius, una cum *quatuor* reliquis, in eadem planitie ad *Oenum* hinc inde repertis, eo curavit transferri, ubi etiam nunc collocatæ ſunt. Errat autem (4) *Warmundus Ygl*, dum in Notis marginalibus Tabulæ Chorographicæ *Comitatus Teriolenſis*, *Pragæ* An. 1605. editæ, ſcribit, *Columnas* iſtas ad hunc duntaxat finem in *Valle Oenana* fuiſſe poſitas, *ut ducerent ad Trajectus fluminis pro tranſvehendis exercitibus aliiſque rebus*, quod nondum tunc eſſet ille *pons*, qui longo poſt intervallo conſtructus *Vrbi Oenipontanæ* nomen dedit. Verum enim earum *Columnarum* uſum indicat (5) ſupra inſerta unius earundem *Inſcriptio*, quippe ex qua diſcimus *Romanorum veterum Viam militarem* ab *Auguſta Vindelicorum Veldidenam* ab Imp. *L. Septimio Severo*, ejuſque filiis *M. Aurelio Antonino Caracalla* & *P. Septimio Geta* per *millia paſſuum centum & decem*, hoc eſt, ſi quater mille paſſus pro uno milliari Germanico communi ſupputentur, per *viginti ſeptem milliaria Germanica cum dimidio*, reſtauratam eſſe. Sine ullo itaque dubio *totidem* quoque *Columnis milliariis*, nempe *centum & decem*, idem illud *Iter* fuit diſtinctum, ita ut *prima* earum ſtaret *primo* ab *Auguſta Vindelicorum* milliari, *ultima* autem ſive *centeſima decima*, quæ quidem illa ipſa eſt, cujus exemplar ſupra inſerui, ante portam *Veldidenæ*. Inter eaſdem etiam *Columnas* fue-

(1) *Vide ſupra pag. 476.*
(2) *Vide ſupra pag. 459.*
(3) *Vide ſupra pag. 458.*
(4) *Vide ſupra pag. 459. in margine.*
(5) *Vide ſupra pag. 459.*

(A) *Ad imum latus graduum, qui ad Aug. Bibliothecam noſtram ducunt, ſpectantur nunc ſex columnæ milliariæ. Eas* D. CAROLUS VI. IMP. *quum anno* CIↃIↃCCXXVIII. *Tergeſtum peteret, ſecus itinera pæne latentes, ipſe detexit, obſervavit, legit, atque earum perpetuæ conſervationi conſulens, ut ad Imperatoriam ſedem transmitterentur, mandavit. Notitiam hanc debeo* Cl. V. SCIPIONI MAFFEIO, *qui primam & pulcherrimam earum cum ceteris propylæi noſtri vetuſtis monimentis vulgavit; primum* in obſervationibus Literariis Tom. I. *deinde iterum* in Muſeo Veronenſi, *cui* Vindobonenſe *additum eſt, pag.* CCXLI. *n.* 2.

fuerunt illæ *tres*, altitudine octonum circiter pedum, quarum *Inſcriptiones Marcus Velſerus* (1) inter antiqua *Agri Auguſtani* monumenta pag. 249. & 250. exhibet, iiſdem prorſus, quibus *Veldidenenſis* illa ſupra inſerta, verbis conſtantes, præterquam quod ibi reſpectu diſtantiæ *ab Auguſta Vindelicorum* in fine *primæ* Inſcriptionis legitur AB AVG. M. P. XXXXI. in fine autem *ſecundæ* AB AVG. M. P. XXXXII. in fine A demum *tertiæ* AB AVG. M. P. XXXXIII. unde ſine ulla controverſia liquet, *tres* illas *Columnas* in ordine omnium *centum & decem* fuiſſe *quadrageſimam primam*, *quadrageſimam ſecundam* & *quadrageſimam tertiam*. Ejuſdem generis *columnæ* fuerunt, quarum *Sidonius Apollinaris* carmine XXIV. ſive in Propemptico ad Libellum ſuum, meminit his verſibus: B

Egreſſus foribus meis, Libelle,
Hanc ſervare viam precor memento,
Quæ noſtros bene ducit ad ſodales,
Quorum nomina ſedulus notavi.
ANTIQVVS tibi nec teratur (2) *AGGER,*
Cujus per ſpatium ſatis VETVSTIS
NOMEN CÆSAREVM viret COLVMNIS
Sed ſenſim gradere, ut moras habendo,
Affectum veterem noves amicis.

Vbi notabile eſt, quod expreſſe ait, *viruiſſe illis columnis* NOMEN CÆSAREVM, nempe quoniam non ſoli *milliarium numeri* iis erant inſculpti, verum etiam *Nomina Imperatorum Romanorum*, per quos, aut quorum ævo (3) *ſtructura* vel *reſtauratio Viarum* contigiſſet: quemadmodum & ſupra in *Veldidenenſis Columnæ Inſcriptione* videre eſt. Huc quoque pertinet *Impp.* (4) *Honorii* & *Theodoſii* Reſcriptum ad *Aſclepiodotum* Præfectum Prætorii, quod extat in *Codice Theodoſiano*, lib. 15. tit. 3. de Itinere muniendo, leg. 6. his verbis: *Abſit, ut nos inſtructionem Viæ publicæ, & pontium, ſtratarumque operam, TITVLIS MAGNORVM PRINCIPVM DEDICATAM, inter ſordida munera numeremus. Igitur ad inſtructiones reparationeſque Itinerum pontiumque nullum genus hominum, mulliuſque dignitatis ac venerationis meritis,*

(1) *In appendice Librorum octo de Reb. Auguſt. Vindelicor. Venetiis A. 1594. editorum in folio, pag. 249. & 250.*

(2) *Per* antiquum aggerem *intelligitur hic* Via publica *ut in Cod. Theodoſ. lib. 15. tit. 3. l. 4.* propter immenſas vaſtitates viarum, certatim ſtudia cunctorum ad reparationem PVBLICI AGGERIS conducibili devotione volumus feſtinare. *Hujuſmodi* publicæ Viæ *appellabantur etiam* Militares, Conſulares, Regiæ, & Itinera ſolita. *Qua de re vide* Hieron. Suritæ *Præfationem Emendationum in* Antonini *Itinerarium*. *Eædem* Viæ publicæ *plerumque erant* compendiariæ; *ideoque* Rutilius *non vult librum ſuum* feſtino *illo uti* itinere, *ne improviſo veteribus amicis ſuperveniret.*

(3) Strabo *lib. 4. Geographiæ pag. 204. vocat* κατασκευὴν τῶν ὁδῶν.

(4) *Apud* Marcum Velſerum *in antiquis Monumentis Agri Auguſtani pag. 249. perperam legitur* Impp. Arcadii & Honorii.

ritis, *cessare oportet*. Hæc supra memorati *Impp. Honorius & Theodosius* de *Titulis* sive *Inscriptionibus Columnarum milliarium*. Eædem *Columnæ milliariæ* appellabantur plerumque simpliciter *Lapides*, uti passim videre est cum apud *T. Livium* aliosque antiquos probatissimos Autores, tum exempli gratia apud *Cornelium Nepotem* in Vita *T. Pomponii Attici*, ubi refert *eum sepultum esse in monumento Q. Cæcilii avunculi sui juxta Viam Appiam AD QVINTVM LAPIDEM:* eodemque modo in *Itinerario Antonini*, quotiescunque legitur *ad septimum*, *decimum*, *vicesimum*, *tricesimum*, *centesimum*, semper subaudiendum est *lapidem*. Meminit quoque eorumdem *lapidum M. Fabius Quintilianus* Institutionum Oratoriarum lib. 4. cap. 5. ubi *partitionem Oratoriam* pereleganter iis assimilat his verbis: *Sed ut non semper necessaria, aut etiam supervacua partitio est, ita opportune adhibita plurimum Orationi lucis & gratiæ confert. Neque enim id solum efficit, ut clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu Judicum positis; sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis NOTATA INSCRIPTIS LAPIDIBVS SPATIA.* Simili comparatione utitur etiam *Claudius Rutilius Numatianus* in principio secundi libri *Itinerarii* sui, ubi rationem reddens, cur illud in *duos* diviserit *libros*, sic canit;

Nondum longus erat, nec multa volumina passus,
Jure suo poterat longior esse liber.
Tædia continuo timuit cessura labori,
Sumere ne Lector juge paveret Opus.
Sæpe cibis affert serus fastidia finis:
Gratior est modicis haustibus unda siti.
INTERVALLA VIÆ fessis præstare videtur,
Qui NOTAT INSCRIPTVS MILLIA crebra LAPIS.

Neque vero silentio hic prætereundus est *Strabo*, qui *Vias publicas*, jam memorata ratione *columnis* sive *lapidibus milliariis* distinctas, libro *sexto* Geographiæ (1) non minus proprie, quam significanter appellat ὁδοὺς κατὰ μέρος διῃρημένας τῷ μιλιασμῷ, libro autem *septimo*, (2) ὁδοὺς βεβηματισμένας κατὰ μίλιον, καὶ ΚΑΤΕΣΤΗΛΩΜΕ΄ΝΑΣ. Cum ergo CÆSAR *quinque* istas *Columnas milliarias*, quæ in *Archiducalis Arcis Ambrasianæ area* collocatæ sunt, satis curiose contemplatus esset, rediit IS deinde in Vrbem *Oenipontanam* circa principium noctis. Ego autem sequenti die XIV. Octobris eandem *Arcem* repetens, & Bibliothecæ ibi adservatæ accuratam perlustrationem & novam ordinatio-

(1) *Pag. 266. editionis græco-lat.* Is. Cassaub. *Paris. A. 1620. typ. Reg. in fol.*

(2) *Pag. 322.*

tionem assidua & indefessa diligentia per integros *decem* dies continuans, tandem aliquando post horam septimam vespertinam diei XXIII. Octobris laboriosissimo huic negotio felicem finem imposui. Postero die XXIV. Octobris, cum statim post prandium ad S. CÆSAREÆ MAIESTATIS audientiam clementissime admissus essem, fidelissima relatione indicavi, *totam Arcis Ambrasianæ Bibliothecam*, a capite usque ad calcem accuratissime a me perlustratam, constare in universum 6449. *Voluminibus*; inter quæ *manuscripta* essent 569. *impressa* autem 5880. simul etiam demississime petii, ut jam memoratos *Codices manuscriptos* 569. una cum 14. itidem *manuscriptis*, quæ in (1) *Technothecæ* ejusdem *Arcis armario duodecimo* reperissem, ut & 1489. *Volumina impressa*, quæ ex supra memoratis 5880. *Voluminibus* selegissem, liceret mihi transferre in *Augustissimam Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem*, quippe quæ insigni hac (2) *bis mille & septuaginta duorum Voluminum* accessione non mediocriter posset locupletari. Cui petitioni meæ non solum haud gravatim & absque mora CÆSAR annuit, verum etiam *Clementissimum* hunc *Consensum Suum* (3) supra memorato *Arcis Ambrasianæ Præfecto* per publicum Decretum quamprimum curavit indicari; nec minori solicitudine, quamvis haud æque felici eventu, cætera etiam omnia, ad liberam, securam & commodam tantæ multitudinis librorum transportationem necessaria adminicula & subsidia, providit ac disposuit. Advenit dein dies XXVI. Octobris, memorabilis *discessu* CÆSARIS *ex Urbe Oenipontana*, posteaquam integros *viginti tres* dies ibi commoratus fuerat. Prandit IS eo die (4) *Halæ*, principio autem noctis rediit (5) *Sebatum*; &, quandoquidem IPSE clementissime mihi mandaverat, ut Se usque eo comitarer, mox post adventum curavit me accersi, proprioque ore & summa benignitate non tantum licentiam mihi concessit revertendi *Oenipontem*, sed & immediate significandi per *literas*, si quid forte præter spem in transportandis *Ambrasianis* libris minus ex sententia accideret. Osculatus igitur OPTIMI HERI dexteram, commendavi me constanti IPSIVS gratiæ, EIDEMque perpetuam salutem omnigenamque prosperitatem ardentissimo voto precatus, recessi non absque mœstitia e *Sacro Cubiculo*. Similiter etiam maximo Mecænati meo, Excellentissimo atque Illustrissimo Domino, Domino *Joanni Maximiliano Comiti de Lamberg*, Equiti Inclyti Velleris aurei, & S. CÆS. MAIESTATIS Consiliario Intimo, Sacrique Cubiculi Supremo Præfecto, in *Ante-Camera Cæsarea*, ubi Eum peropportune tunc inveni, Reverendissimo autem Patri *Philippo Millero*, Societatis JESV doctissimo Theologo, & Conscientiæ S. CÆS. MAIESTATIS religiosissimo Arbitro, cæterisque Amicis,

(1) *Vide supra pag. 475.*
(2) *2072.*
(3) *Vide supra pag. 475.*
(4) *Vide supra pag. 422.*
(5) *Vulgo* Swatz *Vide supra pag. 415. & deinceps.*

cis, quibus in toto illo Itinere perpetuus fueram convictor, *post cœnam*, debito cuique honoris & obſervantiæ reſpectu valedixi. Proximo die XXVII. Octobris perrexit CÆSAR (1) *Juvavum* & (2) *Vindobonam* verſus; ego autem repetii *Oenipontem*, & ſubſequentes *ſex* dies partim *ibi*, partim *in Arce Ambraſiana*, partim *Halæ* tranſegi inter varias inopinatas difficultates & moleſtias, quas cum in ipſa librorum ex *Arce Ambraſiana* exportatione, tum præcipue apud (3) *Adminiſtratorem Salinarum Halenſium*, hominem durum & inſolentem, in obtinenda *navi*, & *doliis ſalinariis* ad incluſionem librorum impetrandis, expertus ſum. Contigit etiam interea nempe die XXIX. Octobris, ut forte ſe offerret occaſio loquendi cum *Curatore Archiducalis Palatii Oenipontani*, vernacula lingua appellato *der Hof-Burgpfleger;* qui cum inter alia mentionem feciſſet *novæ* cujuſdam *Bibliothecæ Archiducalis*, ab *Ambraſiana* tanquam *antiqua* diverſæ, & a duobus potiſſimum ultimis Archiducibus *Ferdinando Carolo* & *Sigiſmundo Franciſco* comparatæ, quæ in jam memorato *Palatio* intra ipſam Vrbem *Oenipontanam* adſervaretur, vehementer profecto indolui, quod nullam ea de re ante S. CÆSAREÆ MAIESTATIS diſceſſum habuiſſem notitiam, ut etiam illam, æque ac *Ambraſianam*, potuiſſem pervolvere. Inſpexi igitur eam obiter, quantum per duas circiter horas fieri potuit, reperique ibi magnam quidem optimorum omnis generis librorum multitudinem, *aliquot mille Voluminibus* conſtantem, ſed adeo confuſam, adeoque negligenter magna ex parte cumulatim in nudo ſolo jacentem, ut tam iniqua tanti theſauri literarii conditio non miſericordiam tantum, ſed & indignationem mihi moverit. Et certe, ſi *nova* hæc *Bibliotheca Archiducalis Oenipontana* æque accurate, ut *Ambraſiana vetus*, a me eſſet perluſtrata, minime dubium eſt, quin *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pretioſiſſima variorum ſelectiſſimum librorum acceſſione itidem potuiſſet augeri, quemadmodum beneficio Bibliothecæ *Ambraſianæ* locupletata eſt: utpote per quam ea, ut (4) ſupra ſpeciatim indicavi, incrementum cepit 2058. partim (5) *manuſcriptorum*, partim *impreſſorum Voluminum*, quæ ego inde tranſtuli. Reliqui autem ibidem *Volumina impreſſa* 4391. & ea quidem non confuſa, uti a me inventa erant, ſed ſumma, quantum per anguſtias temporis fieri potuit, diligentia eodem prorſus modo ordinata & diſpoſita, uti *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* in *ſex primarias*

(1) *Vulgo* Saltzburg. *Vide ſupra pag. 367. & deinceps.*
(2) *Vulgo* Wienn.
(3) *Vulgo* der Saltzmairampts-Verwalter.
(4) *Vide ſupra pag. 515.*
(5) *Nempe abſque illis* quatuordecim Codicibus manuſcriptis, *quos reperi in* Technothecæ *ejuſdem Arcis* armario duodecimo. *Nam cum illis ſunt in univerſum* Volumina 2072. *quæ ex* Ambraſiana Arce *in* Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem *tranſtuli. Vide ſupra pag. 515.*

rias Classes nempe *Theologiam*, *Juridicam*, *Medicam*, *Philosophicam*, *Historicam* & *Philologicam* a me divisa est. Composuissem etiam libenter omnium eorum ibi relictorum librorum Catalogum; sed, quo minus id facerem, defectus necessarii temporis obstitit. Cæterum quod ad ipsam supra (1) memoratorum 2072. *Voluminum Ambrasianorum transportationem* attinet, inclusi ea *viginti duobus doliis salinariis*, quæ peculiari nomine (2) *Saltz-pantzen* appellantur, & *sex cistis*, curavique nonnullis curribus pervehi *Halam*, ubi tandem die 2. Novembris in navim illata sunt. Quo contra intentionem meam per varia inopinata obstacula tarde admodum expedito, ne tamen tædiosissimis abnavigandi tergiversationibus diutius essem obnoxius, contuli me curru eadem adhuc vespera ad pagum *Volters*, unius circiter horæ spatio (3) *Hala* dissitum; summo autem mane sequentis diei *tertii* Novembris contendi porro (4) *Sebatum*, ibique navim, quæ cum famulo præcedenti nocte in ea relicto secuta erat, ingressus sum paulo post meridiem, atque inde (5) per *Oenum* & *Danubium* perrexi *Vindobonam* non minus periculose quam incommode. *Navis* enim, quam multis flagitationibus vix tandem extorseram, valde fuit lacera & ruinosa: *nautæ* autem *quatuor*, A ei regendæ adsignati, bipedes fuere omnium nequissimi; quippe qui in toto illo Itinere adeo ignave, contumaciter & perverse se gesserunt, ut meritam sibi metuentes pœnam, cum die XI. Novembris valde sero *Nusdorfium* perveniissem, omnes nocturno tempore clanculum aufugerint. Quamobrem conductis sequenti die XII. Novembris aliis quatuor B nautis, confeci *unum* illud, quod supererat, vix integrum milliare Germanicum, & circa horam decimam matutinam salvus atque incolumis *Vindobonam* redii. Curavi deinde *dolia* & *cistas*, quibus supra memorati *Ambrasiani libri* continebantur, sine mora e navi extrahi, & adminiculo aliquot curruum recta transferri in *Augustissimam Bibliothecam Cæsaream.* C Sequenti die XIII. Novembris aperui dolia ista, quibus *Codices manuscripti* inclusi erant, iisque eximendis & a se invicem qualitercunque seu crassa, ut ajunt, Minerva secernendis, non solum totum illum diem consumpsi, verum etiam antemeridianum tempus sequentis diei XIV. Novembris, qui *Festum S. Leopoldi*, *quarti* ejus D nominis *Marchionis Austriæ*, cognomine *Pii*, proxime antecedebat. Labore enim hoc post meridiem intermisso, profectus sum ad celeberrimum *Cœnobium* (6) *Neuburgense*, duobus circiter milliaribus Germanicis

(1) *Vide supra pag. 515.*

(2) *Hoc est, si ad verbum vertatur*, Ventres Salinari. *Vocant enim* Germani, *& præcipue quidem* Saxones *nostri* inferiores, *ventrem* die pantze, *quemadmodum Galli* la pance *& Itali* la pancia. *Perperam autem* Josephus Scaliger *in Commentario in* Priapeja *hanc vocem derivat a* pane, *quasi* Panicia, *cum veram originem suam ducat a latino vocabulo* pantex, *quasi* panticia.

(3) *Vide supra pag. 422.*

(4) *Vide supra pag. 415.*

(5) *Vide Librum* primum *horum Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi pag. 41. ubi agitur de* primo *meo Itinere navali per* Oenum *&* Danubium *A 1662.*

(6) *Vide Analect. T. I. pag. 877. in margine.*

nicis supra *Vindobonam* in dextra *Danubii* ripa situm, ubi tum CÆSAR, ex *Itinere Oenipontano* redux, jam memorati *Festi* causa ante introitum in Vrbem *Vindobonensem* substiterat. Quo cum tarde admodum perveniissem, & sequentis diei XV. Novembris antemeridianum tempus venerationi *Sepulturæ & Reliquiarum S. Leopoldi* impendissem, admissus deinde sum statim a prandio ad S. CÆSAREÆ MAIESTATIS optatissimum alloquium, &, post debitam *de felici* IPSIVS *reditu* gratulationem, mei quoque Itineris & transportationis *Ambrasianorum librorum* successum paucis retuli. Quid autem tunc præterea de *Vita S. Leopoldi*, & *Cænobii Neuburgensis* ab Ipso fundati Antiquitatibus, nec non de *solennibus* illis *cærimoniis*, quæ ibidem in *Ipsius Festo* ex prisca institutione celebrantur, adjecerim, alio posthac commodiori loco prolixe memorabitur. Impetrata igitur clementissima dimissione, repetii sine mora *Vindobonam:* nec multo post IPSE etiam CÆSAR desideratissimo suo eandem beavit *Introitu*, totique *Itineri Oenipontano* prosperum finem imposuit. Quod superest, quo clarius pateat, quam uberem fructum literarium *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* ex jam memorato *Itinere* perceperit, en Tibi, *Candide Lector*, qualecunque ejus extemporale Specimen.

CATALOGVS

CODICVM MANVSCRIPTORVM, QVI A. MDCLXV EX ARCHIDVCALI ARCE AMBRASIANA, IVXTA OENIPONTEM SITA, IN AVGVSTISSIMAM BIBLIOTHECAM CÆSAREAM VINDOBONENSEM TRANSLATI SVNT (A).

II. *Hic incipit* Capitis *hujus* Octavi Segmentum secundum.

I. II. III. IV.
Theol. 60. — 63.

Biblia Sacra Veteris & Novi Testamenti latine in *membrana*, *quatuor* Voluminibus in *folio*, cum elegantibus *figuris* inauratis.

V.
Theol. 23.

Biblia Sacra Veteris & Novi Testamenti latine in *membrana*, *uno* Volumine in *folio*, cum elegantibus *figu-*

(A) *Catalogus hic quingentos manu exaratos codices comprehendit; numerosus utique ac prolixius pro* extemporali specimine. Cl. V. JOH. BAP. GENTILOTUS, *Bibliothecæ olim nostræ post* NESSELIUM *Præfectus, eos cum ceteris ejusdem linguæ & patriæ codicibus Cæsareis miscuit; ad* LAMBECII *normam in notas sex classes divisit, eruditeque recensuit. Frequenter proinde in Commentariis suis ad istum* LAMBECII *Catalogum lectorem remittit, eumque, aut pro merito laudat, aut more suo docte emendat; quam præcipue ob causam eum in hoc secundo libro rursum edidimus: tum etiam quod* Cl. *quoque* MONTFAUCONIUS *dignum censuerit, quem* in Bibliotheca Bibliothecarum Mss. Tom. I. a pag. 562. *compendio referret. Ceterum de alumnis nostris, deque successoribus meis bene merendi studio ad omnem codicem diligenter adnotavi, qua in manuscriptorum classe, quove sub numero positus, & a* Cl. GENTILOTO *recensitus sit.*

guris inauratis. In fine *Apocalypſeos* A leguntur hæc: *Explicit Liber Bibliæ, quem ſcripſit Joannes, filius Domini Zachariæ Pellificis, Civis Novæ Civitatis Pragenſis, & perfecit ſeu complevit feliciter anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, ſecunda feria proxima poſt Feſtum Epiphaniarum Domini: pro quo ſit benedictus* DEVS *glorioſus in ſecula ſeculorum Amen.* Sequitur deinde omnium *Nominum propriorum* totius Scripturæ Sacræ alphabeticus *Index* ampliſſimus una cum ſingulorum *Interpretatione;* cujus principium: *AA apprehendens vel apprehenſio* &c.

VI.

Theol. 93.

Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti latine in *membrana uno* Volumine in *folio.* Præfixa eſt ſingulorum *Capitum* cujuſque *Libri*, uno plerumque vocabulo comprehenſorum, *Epitome metrica*, cujus Titulus & principium: *Incipiunt Capitula Bibliæ metrice, & fere quælibet dictio repræſentat Capitulum. Sequitur* GENESIS.

Opera dierum	*fructum ligni*	*tranſgrediendo*	*occiditur*	*transfertur*	*propter diluvium*
1	2	3	4	5	6
Sex	*prohibet*	*peccant*	*Abel*	*Enoch*	*& archa*

Epitome autem *Apocalypſeos* definit hoc verſu:

Reges terra	*Beati qui ad cœnam nuptiarum*	*corpora*	*ornatur viro ſuo.*	*jam dicit ſponſus:*
17	*vocati* 18 *ſunt.*	19	20	21
Flebunt	*ad cœnam*	*ſurgunt*	*ſponſus*	*venio jam.*

In fine ejuſdem Codicis extat omnium *Nominum propriorum* totius Scripturæ Sacræ alphabeticus *Index* ampliſſimus cum ſingulorum *Interpretatione;* cujus principium: *Aaron mons fortis vel mons fortitudinis* &c.

VII.

Theol. 811.

Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti latine in *membrana, uno* Volumine in *duodecimo*, literis elegantibus, ſed valde minutis, ſinguliſque paginis in duas columnas diviſis. In fine *Apocalypſeos* legitur, *explicit Bibliotheca.* Vbi (1) *Bibliotheca* ſignificat tota Biblia Sacra ſive integrum Corpus totius Scripturæ Sacræ tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, quemadmodum in pervetuſto illo *Sacrorum Bibliorum* exemplari, tempore *Caroli Magni*, *Regis* tantum adhuc *Francorum*, ſtudio & ſumptibus *Radonis*, celeberrimi Monaſterii Benedictini *S. Vedaſti* apud *Atrebates* undecimi Abbatis, anno Chriſti 795. exarato, de quo (2) ſupra Capite *quinto* hujus Libri ſatis prolixe actum eſt. Cæterum poſt jam memorata verba *Explicit Bibliotheca*, ſequitur in eodem hoc *ſeptimo* Codice *Index* omnium *Nominum pro-*

(1) *Vide Analect. T. I. pag. 618.*

(2) *Vide Analect. T. I. p. 617. 618. & deinceps.*

propriorum totius Scripturæ Sacræ ordine alphabetico cum *Interpretatione*, cujus principium: *Aaz apprehendens vel apprehenſio* &c.

VIII.

Theol. 12.

Biblia Sacra Veteris Teſtamenti latine in *membrana*, *uno* Volumine in *folio majori.*

IX.

Theol. 42.

Biblia Sacra Veteris Teſtamenti latine in *membrana*, *uno* Volumine in *folio.*

X.

Theol. 759.

Bibliorum Sacrorum Veteris Teſtamenti Pars poſterior a *Proverbiis Salomonis* incluſive uſque ad finem, & *Novum Teſtamentum* integrum, *latine* in *membrana*, *uno* Volumine in *duodecimo*, literis elegantibus, ſed valde minutis, & ſingulis paginis in duas columnas diviſis.

XI.

Theol. 169.

Bibliorum Sacrorum Veteris Teſtamenti Pars poſterior a *Proverbiis Salomonis* incluſive uſque ad finem latine in *charta*, *uno* volumine in *folio.*

XII.

Theol. 129.

Pſalterium Davidis chartaceum cum variis *Notis* marginalibus & interlinearibus *latine* in *folio.*

XIII.

Theol. 455.

Pſalterium Davidis membranaceum latine in *quarto.*

XIV.

Theol. 456.

Pſalterium Davidis membranaceum latine in *quarto*, cum figuris inauratis. Exemplar elegans, in cujus fine hi leguntur rhythmi:

Et ſic eſt finis: laudetur omnium Finis.
Detur pro pennis ſcribenti vita perennis.
Sunt tria vere, quæ me faciunt ſæpe dolere:
Primum ſcio durum, quia ſcio me moriturum;
Secundum timeo, quia neſcio, ubi vel quando;
Tertium deflebo, quia neſcio ubi manebo.

XV.

Theol. 351.

Evangelium S. Marci membranaceum latine in *folio minori* vel in *quarto majori*, cum antiquis anonymi cujuſdam Autoris *Annotationibus marginalibus & interlinearibus* lectu digniſſimis. Scriptura hujus Codicis præ ſe fert ætatem *ſexcentorum* circiter annorum, & fere eadem eſt, quæ cernitur in *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* Codice MSto, inter Codices MStos Theologicos Latinos *quadrageſimo nono*, quo continentur omnes *Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli*, celeberrimi Chronographi (1) *Mariani Scoti*, Monachi Fuldenſis, propria manu anno Chri-

(1) *De hoc* Mariano Scoto *vide* Sigeberti Gemblacenſis *librum de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 159. & ibidem* Auberti Miræi *Scholion. Conſule etiam* Joan. Trithemii *Catalogum illuſtrium Virorum Germaniæ p. 133. & librum de Scriptor. Eccleſ. p. 266. item* Nicol. Serarii *Rerum Moguntiacar. lib. 1. cap. 40. &* Philippi Labbei *Tom. primum de Scriptor. Eccleſ.*

Christi 1079. exaratæ, & ab eodem *Annotationibus marginalibus & interlinearibus*, hactenus quidem *nondum editis*, editu tamen dignissimis, illustratæ; in quarum fine (1) hæc ipsius legitur subscriptio: *Explicit Epistola ad Hebræos, habens versus DCCC.*

In honore Individuæ Trinitatis Marianus Scottus scripsit hunc librum suis fratribus peregrinis. (2) *Anima ejus requiescat in pace, propter Deum devote dicite, Amen. XVI. Kal. Junii, hodie feria VI. anno Domini MLXXVIIII.*

Cæterum neque illud hic silentio prætereundum est, supra memorato *Evangelio S. Marci* præfixam esse *Vitam* ejusdem Evangelistæ itidem, atque ipsum *Evangelium*, *Annotationibus marginalibus* illustratam; cujus principium: *Marcus Evangelista*, Dei & *Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israel agens secundum carnem Levita, conversus ad fidem Christi, Evangelium in Italia scripsit, ostendens in eo, quid & generi suo deberet & Christo. Nam* &c.

XVI.

Theol. 640.

Passio Domini nostri Jesv Christi secundum quatuor Evangelistas *latine* in *quarto.*

XVII. XVIII. XIX.

Theol. 3. 4. 5.

Biblia Sacra Veteris Testamenti germanice in *membrana, tribus* Voluminibus in *folio majori*, & quidem tanta *figurarum* inauratarum ipsi contextui insertarum multitudine, adeoque eleganti, magnifico ac pretioso ornatu marginali decorata & insignita, ut absque singulari admiratione spectari nequeant. *Primum* Volumen, quod usque ad principium trigesimi quinti versus Capitis vigesimi tertii *Libri quarti Regum* pertingit, cum toto *ornatu* suo integre absolutum est. *Secundum* Volumen, quod a jam memorato trigesimo quinto versu Capitis vigesimi tertii *Libri quarti Regum* usque ad finem *Libri Jobi* inclusive pertingit, respectu quidem *contextus* itidem absolutum est, sed *ornatus* ejus magna ex parte deficit. *Tertium* denique Volumen, quod a jam memorato *Libro Jobi* usque ad Prophetiam *Ezechielis* inclusive pertingit, æque ac præcedentia duo Volumina respectu quidem *contextus* omnino absolutum est, sed *ornatus* ejus fere omnino adhuc deficit. Præfixus est magno huic Operi *Prologus* Germanicus universalis rhytmicus, cujus principium:

Got,

(1) *In eodem etiam Codice folii* decimi *pagina priori, propria ejusdem* Mariani *manu scriptum legitur*: X. Kal. April. an. D. MLXXVIIII. Mariani miseri Domine miserere.

(2) *His verbis rogat* Marianus *lectores istius a se scripti Codicis, ut post mortem suam pro se orent. Tunc temporis enim adhuc vivebat; quippe qui revera A. 1086. obiit, ut testatur continuator ejus* Dodechinus.

Got, Got, du (1) herczen liebes gut,
Czu dir hebit ſich mein mut,
Vnd rufet dich gutlichen an
Wenne nyemant wol geſchaffen kan
An dich, wil yemant icht beginnen, &c.

Finis ejuſdem Prologi generalis hic eſt:

Allen Gotes kinden,
Die ſich in trewen laſſent vinden,
Vnd in gleicher ſaſe,
Bawen des Himels ſtraſe,
Die Got von herczen und von ſinnen,
Vnd die heilige Schrift minnen,
Vnd domit bekummert weſen,
Das ſie gerne horent leſen,
Oder ſelber leſen, den wil ich
Hie vorlegen fruntlich
Der beſten abentewer hort,
Die mein oren ye gehort.
Ein buch das heiſſet BIBLIA,
Die wil ich ausrichten ſa
Vnd mit gleichen ſchlechten dingen
In Deutſche czunge und ſprache bringen,
Nicht zu reime ſam ich alda
Ger in dieſem Prologo:
Wenne wer es alſo wolde ſagen
Der muſte czu und abe tragen
Vnd die Schrift gar vorkeren.
Alſo wil ich nichte leren;
Sunder gleih als uns ſchreibet da
Der heiligen Schrift Hiſtoria,
Alſo wil ich euch ſchencken
Vnd mit vreuden trencken.

Sequitur deinde *in Geneſin Proœmium* Germanicum particulare, itidem rhythmicum, cujus principium:

Diſes Buches auſganck
Iſt von der Werlde anevanck,
Von dem erſten tage,
Von vreuden und von clage,

Was

(1) Herczen pro hertzen, *uti paſſim ibi* cz *uſurpatur pro* tz.

Was wunders in allen czeiten
In dieſer Werlde weiten
Geſchah, und noch geſchehen ſol;
Wie Got die Werlde funden vol
Bei Noe gar ertrenckte,
Vnd den Sodomiten ſchenckte
Swebil und fwer &c.

Inchoatum fuit eximium hoc Opus auſpicio & ſumptibus (1) WENCESLAI, *Imperatoris Romanorum & Regis Bohemiæ*, uti apparet ex jam memorati *Proœmii in Geneſin* ultimis hiſce verſibus:

Wer nur dieſer Schrift hort
Wil leſen und ir ſuzen wort,
Der ſchol nu dancken dem vrumen,
Von dem dicz geſtift iſt kummen,
Dem Hochgebornen Kunig WENCZLAV vein
Vnd der Durchluchtigiſten (2) Kuniginne ſein:
Den dicz durch Gotis wirdigkeit
Frumet aller Chriſtenheit.
Got gebe in dorumbe czu lone
Des edeln Himelriches crone.

Ejuſdem rei confirmandæ cauſa cernitur ibidem intra *primam* jam memorati *Proœmii literam D.* Imp. *Wenceslaus* cum Conjuge ſua *Sophia*, inſignibus regiis ornatus, thronoque inſidens, quemadmodum ex accuratiſſimo apographo, e regione hic inſerto, videre eſt. (*). Ipſum porro *Geneſeos* principium hoc eſt: D *In anegenge ſchefte Got Himel und Erde: die Erde was aber unmucz und lere, und vinſtermuſſe warn auf der geſtald der abegrund, und Gotes Geiſt ward gefurt auf den waſſern* &c. Memorabile præterea eſt, in *marginali* horum Bibliorum *ornatu* nihil frequentius cerni, quam *Imp. Wenceslai nomen*, notatum unica litera ſingulari *W*, in qua ipſe plerumque ſedet tanquam in *carcere*, manus pedeſque cippo habens incluſos. Adſtat illi interdum *balneatrix* brachiis pedibuſque nudis, altera manu tenens *urnulam ligneam balnearem* ad hauriendam ingerendamque aquam, altera autem *faſciculum herbaceum viridem;* cujuſmodi olim in balneis ad tegenda genitalia non ſolum *Bohemi* uſi ſunt, verum etiam *Germani*, quippe apud quos faſciculus ille balneatorius

(1) *Fuit is* Filius Imp. Caroli IV. & *cognomen* Ignavi *meruit, quoniam, ut* Æneas Sylvius *ſive Pontifex* Pius II. *Hiſtoriæ Bohemiæ capite 34. ſcribit*, longe patri abſimilis voluptatum fuit ſequax ac labores refugiens, & vini, quam Regni curioſior. Quamobrem etiam A. C. 1400. ab Electoribus Imperii, comprobante Romano Pontifice, Imperio dejectus eſt, & domi torpens, vino cibo-que marcens, & lucem dormiendo nocti conjungens, illaudatum egit ævum, & tandem A. 1418. d. 16. Auguſti obiit.

(2) Sophia Joannis *Ducis Bavariæ filia, quam* Æneas Sylvius *ſupra citato loco teſtatur* marito ſuo Wenceslao longe præſtantiorem fuiſſe.

* pag. 531.



IMP. WENCESLAVS CVM CONIVGE SOPHIA






Imp. WENCES
LAVS, in prima
nominis sui litera
W sedens tanquam in carcere Pragensi.
SV SANNA balneatrix cujus auxilio Imp.
WENCESLAVS captivitate Pra gensi liberatus est.
SVSANNA balneatrix Pragensis et Concubina Imp. WENCESLAI,
cujus auxilio is captivi= tate Pragensi liberatus est
thoho bzde thoho


toho pzde toho
Litera R. qua significatur
REX
Avis cum ligamine
circum collum qua
Imp. WENCES,
LAVS symbolice
significatur captivus


Imp. WEN CESLAVS
in balneo Pra gensi


Imp. WEN CESLAVS, tan=
quam capti vus cum ligamine
circum collum.


Avis ligamine insistens, qua
significatur Imp. WENCES,
LAVS captivitate Pragensi jam
libe ratus.


Imp. WEN CESLAVS in balneo Pragensi



torius ſecundum dialectum Saxoniæ noſtræ Inferioris vocatur *ein Badequaſt*. Eadem illa *balneatrix* repræſentatur ibidem ſæpiſſime etiam ſola; ut exempli gratia in principio *Libri Numerorum* intra primam literam *D*, ubi ſupra illius caput hæc cernitur aureis literis exarata *Inſcriptio Bohemica :*

THOHO BZDE THOHO.

ſeu, ut alibi ſcriptum legitur

TOHO PZDE TOHO.

Quæ verba interdum quoque ipſi *Wenceslao captivo* adjuncta ſunt, interdum autem cuidam *avi*, quæ ibidem frequentiſſime exhibetur, vel cum *ligamine circum collum*, vel *libera*. (A) Nonnullis denique locis cernitur ibi idem *Wenceslaus*, *balneatricibus duabus* fricandum lavandumque præbens corpus ſuum omnino nudum, præterquam quod virilia ſupra memorato *faſciculo balneari* tecta ſunt : quemadmodum ex jam memoratarum imaginum nonnullis *apographis*, quæ cum aliis quibuſdam ſpeciminis loco hic inſerui, videre eſt (*). Dereliquo minime dubium eſt, quin *Imp. Wenceslaus Sacra* illa *Biblia*, ſuis ſumptibus ſcripta, adeo inſolito, &, licet eleganti atque pretioſo, ſatis tamen abſurdo ornatu, curaverit inſigniri ad perpetuam memoriam *captivitatis ſuæ Pragenſis & inopinatæ liberationis*, quam *Joannes Dubravius*, Epiſcopus Olomucenſis, *Hiſtoriæ Bohemicæ* libro vigeſimo tertio refert his verbis : *Adeo natura ferus & ſanguinarius fuit Rex Wenceslaus, ut aſſiduum penes ſe carnificem haberet, quem vulgari vocabulo* (2) *compatrem familiariter appellabat, quia filium ejus de fonte ſacro levavit : & tam proximum ſibi adhibuit, ut aliquoties uno eodemque equo ſecum vehi illum paſſus fuerit, deſilientemque rapi ad pœnas, quos juſſerat, ſpectaverit : nulli interim Ordini ſatis fidens, & nunc Bojemos Germanis, nunc rurſus Germanos Bojemis anteferens ; Pragæ præſertim, in qua paucos in Senatu Bojemos reliquit. Ac poſtremo nec Arci Vicegradenſi ſalutem ſuam valde credere voluit, perturbatus tumultu a plebe contra Judæos excitato, quem Rex cum omnibus ſuis nullo modo ſedare potuit. Seorſum igitur a Praga ſpatio unius milliaris, novam ſibi Arcem vocabulo* Cunratice *bene firma ædificavit, ad quam in quovis plebis urbanæ motu, tanquam ad aſylum excurrere poſſet. Sed non minus ſibi cavent, qui timent, quam is, qui timeri vult, & ſæpe multi prævalent adverſus unum, quemadmodum in Wenceslao tunc uſuvenit : qui, quantumvis ſibi cautus eſſe videbatur, tamen a ſuis captus eſt, qui in illum tam ex plebe, quam ex Nobilitate conſpiraverant, cæde recenti irritati, qua pridie duos Cives Pragenſes & duos ex Procerum Ordine, Giroſſium & Hroskam, occidi gladio juſſit. Captum igitur, quod nulli unquam Regum ante contigit, in carcerem publicum, in quem ſupplicio affi-*

(A) *Avis hæc cum tænia circa collum, vel libera,* Inſignia *ſunt* Balneatorum, *quæ, amore ſuæ Suſannæ cum ampliſſimis privilegiis* Balneatoribus Wenceslaus *conceſſit. Vide Goldaſti Tom. II. der Reichsſazungen p. 82.*

(2) Gefatter; *Bohemice vero*, Kmotrze.

afficiendi passim conjiciebantur, detruserunt, & menses ibi quatuor in fœtore & squalore miseris modis habuerunt. Exoratus deinde multis sui Regis precibus Senatus Pragensis, ut loco illo tantisper ei egredi, dum illuviem & sordes balnei lavacro elueret, liceret, deducendum eum in servili habitu quatuor publicis custodibus ad balneum, juxta Vultaviam in veteri Praga positum, commiserunt, ita ut duo ex illis simul lavarent, & duo vestes observarent, quas exuerat. Morem hunc Bojemi in balneis retinent, ut viri juxta ac fœminæ in illis omnia ministeria obeant, aquam suppeditent, capita lavent, corpora defricent. Harum una adlubescente, ut sermone saltem ejus perfrui posset, diutius calore balnei torrebatur, secedensque refrigerandi causa extra hypocaustum, conspicatur lemunculum piscatorium cum remo in ripa vacuum, & mulierem interrogat, an remigare tantum sciret, quantum remigio ad trajiciendum in alteram ripam opus esset. Qua annuente abdit se in lembum, ac repente ab oculis custodum elabitur, venitque per devia nudus cum nuda ad novam illam suam Arcem, Præfecto Arcis multum admirante Domini sui fortunam. Jubet ille vestes promi, cœnamque parari, ac statim centum aureos nummos sibi afferri, quos SVSANNÆ (sic enim mulier vocabatur) nauli nomine in manus tradit, illamque non ad mensam solum, verum etiam ad lectum sibi adjungit. Inde haud multo secus post carcerem efferatus, atque efferari solent indomitæ feræ caveis inclusæ, non tractari, non demulceri, non alloquio, A nisi unius SVSANNÆ, molliri facilis, donec in Arcem, quam Bojemi Ziebrack dicunt, longius a Praga distantem, eoque metu Pragensium magis liberam, concederet. Ibi epulare convivium instauratum, & scena crudelitatis renovata, dum rursus per compatrem suum carnificinam exercet in eos, quos suspectos vel invisos habuit. Hucusque *Dubravius.*

B Unde patet, *balneatricem* illam, quæ adeo frequenter in supra memoratis *Bibliis Sacris Imp. Wenceslai* impensa exaratis, depicta cernitur, haud aliam esse, quam illam ipsam SVSANAM, quæ ipsum *captivitate Pragensi* liberavit, & deinceps, tanquam chariſſima ejus *concubina*, gratia & autoritate plurimum floruit, qua de causa etiam illius *pectus* in C una supra citatarum Imaginum litera singulari W sive *nomine Wenceslai* signatum est. Pervenit porro magnum illud *Sacrorum Bibliorum* Opus in potestatem *Augustissimæ Domus Austriacæ* A. 1437. nempe post obitum *Imp. Sigismundi*, utpote cujus filiam *Elisabetham*, Regnorum *Hungariæ* & *Bohemiæ* unicam hæredem, *Imp. Albertus II. Austriacus*, qui Ipsi jam memorato anno 1437. in Regnis *Hungariæ* & *Bohemiæ*, anno autem 1438. in *S. Imperio Romano* succeſſit, inde ab anno 1422. in matrimonio habuerat. Mortuo deinde *Imp. Alberto II.* A. 1439. d. 27. Octobris, cum (1) *Imp. Fridericus V.* librorum ejus evasisset tutor, accepit is hac occasione *Biblia* illa *Imp. Wenceslai imperfecta*, iisque adeo delectatus est, ut & ipse ad ea absolvenda animum ap-

(1) *Cognominatur is vulgo perperam* Tertius *vel* Quartus *Vide supra pag. 444. & 445.*

appulerit, quemadmodum etiam-
nunc apparet ex *Voluminis ſecundi* dimidia parte poſteriori & toto *Volumine tertio*; quippe ubi paſſim propria manu ipſius ſcriptum cernitur, quibus *figuris* loca ibidem vacua ſuppleri voluerit. Incipiunt autem omnes illæ figurarum deficientium deſcriptiones his verbis: *Hic ponas* &c. In principio etiam *Voluminis tertii* extat ordinarium illud ejuſdem *Imp. Friderici V. Symbolum* ænigmaticum quinque literarum vocalium cum ſubjuncta temporis notatione hoc modo:

A. E. I. O. V.

Anno Domini 1447. in vigilia S. Jacobi Apoſtoli.

Quandoquidem vero etiam alii non pauci *Ambraſiani Codices manuſcripti*, quorum poſthac fiet mentio, eodem illo *Imp. Friderici V. Symbolo* ſignati ſunt, facere non poſſum, quin obiter hic indicem, de *vera* jam memorati Symboli *interpretatione* conſulendum eſſe *Diarium* meum *Sacri Itineris Cellenſis*, quod Sacratiſſimus Imp. LEOPOLDVS A. 1665. feliciter peregit, a pagina 15. uſque ad pag. 21. nempe ubi, rejectis *triginta octo* præcipuis iſtius Symboli *falſis expoſitionibus*, beneficio *membranacei* cujuſdam (1) *Diarii Vitæ Imp. Friderici V.*, quod in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* propria ipſius manu exaratum adſervatur, ſolidiſſime demonſtravi, *veterum* jam memorati Symboli *ſenſum* cum *Latine*, tum *Germanice* eſſe hunc:

AVSTRIÆ EST IMPERARE ORBI VNIVERSO:
ALLES ERDREICH IST OSTERREICH VNTERTHAN.

Quam *genuinam* iſtius Symboli *Interpretationem*, *propria* ipſius *Imp. Friderici V. manu* in jam memorato *Diario* exaratam, nemo certe tanquam *vanam* & *nimis ambitioſam* poterit damnare, ſi bona fide & debita æquanimitate conſideraverit, *primum* quidem, quod *Auguſtiſſima Domus* Auſtriaca per integra jam aliquot ſecula præfuerit, & etiam nunc præſit *S. Imperio Romano*, hoc eſt, *ultimæ* ex *quatuor* illis *Monarchiis* ſive *Summis Imperiis*, quæ uſque ad finem Mundi duratura eſſe ſacra *Danielis* Prophetia certo indicat; *deinde* vero, quod eadem *Auguſtiſſima Domus* amplitudinem ſui generis eouſque extenderit, ut omnibus fere totius Chriſtiani Orbis Regibus & Principibus vel (2) *ſanguinis neceſſitate*, vel *affinitatis nexu* conjuncta ſit; *demum* autem, quod *Potentia Hiſpanica*, quæ ejuſdem *Auguſtiſſimæ Domus* altera, ut *S. Imperii Romani Regimen* prima, qua nititur, columna eſt, in *utroque*

(1) *De hoc* Diario *agitur ibi prolixe & accurate a pag. 13. uſque ad pag. 32.*

(2) *Huc pertinet notabilis ille locus, qui extat in* Gabr. Bartolomæi Gramondi, *Præſidis Parlamenti Toloſani, Hiſtoriarum Galliæ Præfatione ad Regem* Ludovicum *XIV. his verbis*: Accipio omen; eris CÆSAR. Hæc de Te, REX, præſagia ſunt, ut in BORBONIOS transferas aliquando, quem AVSTRIACI duobus abhinc ſeculis ſucceſſive poſſident OCCIDENTALIS IMPERII Titulum. CÆSAR eris; nec decedet ideo AVSTRIACÆ GENTI IMPERII APEX: nam & Tu per Matrem AVSTRIACVS es.

Orbis terrarum *Hæmiſphærio*, non A *gni*, qui eam, *Dario Codomanno* ad titulo tenus tantum, ſed re ipſa longe lateque dominetur. Quamobrem non magis reprehendi poteſt, quod *Imp. Fridericus* ait, *Auſtriæ Eſſe Imperare Orbi Vniverſo*, quam quod *S. Lucas Evangeliſta* dicit, *Imp. Auguſti edicto πάσαν τὴν οἰκουμένην*, hoc eſt ſecundum verſionem vulgatam, (1) VNIVERSVM ORBEM *cenſus cauſa deſcriptum eſſe*. Certo quippe conſtat, *Imp. Auguſtum* ne quartæ quidem *Vniverſi Orbis* parti re vera imperaſſe, multoque latius nunc dominari *duas* illas, in quas *Auguſtiſſima Domus Auſtriaca* diviſa eſt, *maſculinas ſtirpes*, *Germanicam* & *Hiſpanicam*, quam *Monarchia Romana* dominata eſt, ubi vel ſub *Imp. Auguſto*, vel ſub *Imp. Trajano* quam maxime floruit. *Vniverſus* itaque *Orbis* apud *S. Lucam Evangeliſtam* & in *Symbolo Imp. Friderici V.* non generatim & politice interpretandus eſt, ſed ſpeciatim & Theologice ſecundum ſynecdochicum *Sacræ Scripturæ* ſenſum, quo *Summum Orbis Vniverſi Regimen* a creatione Mundi uſque ad ejuſdem finem *quatuor* tantum attribuitur *Monarchiis*; (2) quarum *prima Babylonica*, quæ a *Nimrodo* fundata, diverſo reſpectu etiam *Aſſyriaca*, *Chaldaica* & *Medica* appellari poteſt; *ſecunda Perſica*, quam victo *Dario Medo* inchoavit *Cyrus*; *tertia Græca*, quæ poſt obitum *Alexandri Ma-*

Arbela victo, fundaverat, in *quatuor Regna*, *Aſiæ* videlicet *proprie dictæ*, *Macedonicum*, *Syriacum* & *Ægyptiacum* fuit diviſa; *quarta* autem & *ultima Romana*, a ſecundo Romanorum Imperatore *Auguſto* poſt pugnam *Actiacam* & voluntarium *Cleopatræ* ultimæ *Ægypti* Reginæ interitum inchoata, quæ in *Oriente* quidem a Tyranno Turcarum *Muchammedo II.* A. C. 1453. extincta eſt, in *Occidente* autem etiam nunc durat, & a Glorioſiſſimo Imperatore Noſtro LEOPOLDO I. laudabiliter adminiſtratur. Quamvis enim nulla ex hiſce *quatuor Monarchiis* revera ſeu, ut in ſcholis loquuntur, *actu Orbi Vniverſo* unquam imperaverit, tanta tamen unicujuſque earum, vel in principio, vel alio aliquo durationis ſuæ tempore, dignitas fuit & potentia, ut ſingulæ ſingula eorundem temporum magna Imperia non ſplendore tantum ſuperaverint, ſed & armis ſubjugare potuerint. Quam *communem* & *Sanctorum Catholicæ Eccleſiæ Patrum* unanimi conſenſu approbatam Prophetiæ *Danielis* interpretationem uti *Hiſtoriæ* meæ *Literariæ* Tomo (3) primo ſecutus ſum, ita eandem etiam nunc tueor & defendo, cum contra quoſcunque alios ejus oppugnatores, tum præcipue contra *Joannem Bodinum Andegavenſem*, qui capite *ſeptimo* Opuſculi, quod *Methodum*

(1) *Huc etiam pertinet illud* Petronii Arbitri: ORBEM jam TOTVM victor Romanus habebat, Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque, Nec ſatiatus erat: *&c. Vide etiam* Joan. Lymnæi *Jus publicum Imperii Romano-Germanici lib. 2. cap. 8. ubi ex profeſſo hanc tractat quæſtionem*, An Imperator, ſit & recte appelletur DOMINVS MVNDI.

(2) *Vide ſis* Hiſtoriam meam literariam *lib. 1. cap. 4. a pag. 21. uſque ad pag. 25. lib. 2. cap. 11. pag. 207. lib. 2. cap. 13. pag. 218. & eod. lib. pag. 286.*

(3) *Prodiit is in lucem Hamburgi typis Michaelis Piperi Anno 1659. in folio.*

thodum ad facilem Hiſtoriarum cognitionem inſcripſit, ex ingenerato erga *Germanos* & *S. Imperium Romano-Germanicum* odio, frivolis quibuſdam & nullius momenti argumentis eos confutare annititur, qui ſecundum *Danielis* prophetiam *quatuor Monarchias* ſtatuunt.

XX. XXI.

Theol. 31. 32.

Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti germanice in *membrana*, *duobus* Voluminibus in *folio*, cum elegantibus *figuris* & ornatu marginali inaurato. In principio *primi Voluminis* extant *Inſignia gentilitia Matthiæ Eberler*, cujus auſpicio & ſumptibus hæc Biblia A. C. 1464. ſcripta ſunt. Ad perpetuam enim piæ iſtius liberalitatis memoriam legitur ibidem hæc aureis literis exarata Inſcriptio: *In dem Jar, als man Zalt MCCCC und LXIIII hat Mathis Eberler diſe Bibli laſſen machen; des Sel rüwe in dem friden Gots.* Quod porro ad ipſam *verſionem Germanicam* attinet, incipit ea hoc modo: *In dem angenge ſchuf Got himel und erden; aber das erdrich was ytal vnd lêre, und vinſternus was ob dem antlutze des abgrundes, und Gottes Geiſt ward gefüret uber die waſſer. Vnd Got ſprach: werde liechte; und das liechte ward*, &c. In fine *primi* hujus *Voluminis*, uſque ad *Eccleſiaſticum* incluſive pertingentis, extat ſubſcriptio *Joannis Liechtenſternii Monachienſis*, qua teſtatur, abſolutam a ſe eſſe *priorem* hanc Sacrorum Bibliorum *Partem Baſileæ* A. 1464. circa Feſtum *Purificationis* Beatiſſimæ Dei-genitricis. Ipſa ejus verba ſunt hæc: *Dis erſt teil der Biblien iſt von Joan Liechtenſternn von München, die zit Student zu Baſel geſchriben worden und volendet umb Liechtmes im Jar Tuſend vierhundert ſechzig und vier.* In principio *ſecundi Voluminis*, a Prophetia *Iſaiæ* uſque ad *Apocalypſin* pertingentis, extant iterum ejuſdem ſupra memorati *Matthiæ Eberleri Inſignia*: in fine autem extat itidem, ut in primo Volumine, ſubſcriptio *Joannis Liechtenſternii*, qua teſtatur, abſolutam a ſe eſſe *poſteriorem* hanc Sacrorum Bibliorum *Partem Baſileæ* An. 1464. in vigilia *S. Jacobi* Apoſtoli.

XXII.

Theol. 288.

Pſalterium Davidis membranaceum latine, in *quarto*, ut vocant, *majori*, cum (1) *Otfridi*, Monachi *Wizanburgenſis* ſive *Weiſſenburgenſis* Ordinis S. Benedicti, antiqua *Theotiſca Paraphraſi proſaica*, ſingulis cujuſque Pſalmi latinis verſiculis ſubjuncta, quæ quidem hactenus nondum in lucem prodiit, digniſſima tamen profecto eſt cum propter antiquam (2) *Theotiſcam* ſive *Francicam Linguam*, *Imp. Caroli Magni* ævo uſitatam, tum vero etiam ob ipſius argumenti & reconditæ doctrinæ præſtantiam, ne diutius in tenebris latitet, ſed beneficio typographiæ quamprimum publicetur. Scriptus autem eſt ſine dubio hic Codex, ut ex *ſcriptura* & aliis variis certiſſimis

(1) *Vide Analector. Tom. I. pag. 643. uſque ad pag. 647.*

(2) *Vide ibidem pag. 643. &c.*

mis indiciis apparet (1) *ipso Otfridi ævo;* nempe *Seculi post Christum noni posteriori parte dimidia*, quo eodem tempore idem *Otfridus Volumen Evangeliorum*, antiquis rhytmis *Theotiscis* compositum, & in *quinque Libros* divisum, *Ludovico, Imp. Ludovici Pii filio, Franciæ Orientalis Regi*, ut & *Liutberto Archiepiscopo Moguntino*, atque *Salomoni, primo ejus nominis Episcopo Constantiensi*, dedicavit; uti (2) supra non minus solide, quam prolixe a me demonstratum est. Cæterum quo in statu pervetustus ille *Psalterii Codex Theotiscus* ad nostram perveniret ætatem, & quid præter ipsos *Psalmos Davidicos* contineat, ex sequenti succincta recensione videre est. In principio videlicet extant *duo folia*, quibus continentur *Fragmenta duo* diversa ex antiquis illis *Otfridi Homiliis Theotiscis*, quarum *Joannes Trithemius* (3) in enumeratione Operum ipsius meminit. In *primo* horum duorum *Fragmentorum* agitur de *amore* erga *Deum* & *proximum* his verbis: *Mina liebis tun Bruder nu fernemet dei Gotes kebot. Ir sculit zallerirîste Got minnon uone allemo iuuueremo herzen, uone allemo iuuueremo muote, vone allera iuuuera chrefte: dara nach iuuueren nahisten sâmo so iuuuih sélben. Ir ne sculit manslahta tuon, noh daz uberhuor, noh die diuua; fremedes tinges ne sculit ir keren; luckez urchunde ne sculit ir sâgen. Alle mennisken sculit ir eren; iuuueren lichenam sculit ir chestigen; die fastun sculit ir minnan, nals die uuirtschaft; azet die hungerenten, drenchet die durstenten, uuatet den nachoton* &c. In altero fragmento agitur de *viduarum* speciali protectione divina his verbis: *Saligiu uuituuua, du uone Gote in allen dingen so piuolchen wirdest. Der dir ne gnadit, der uuirt uone Gote irteilet, imo selbemo sus sprechentemo: Die den uuituuun ne ribtent, noh uueisen ne gnadent, die irteilo ih sélbo. Saligiu uuituuua, du sélben Got habest ribtare unde piskirmare*, &c. Finitis duobus hisce *Homiliarum fragmentis*, totidem foliis comprehensis, incipit ipsum *Psalterium*, cujus *psalmum primum* (4) supra Capiti *quinto* hujus Libri *secundi* pro specimine integrum inserui. Eodem modo sequuntur deinde reliqui usque ad *quinquagesimum*, vel, secundum Hebræos, *quinquagesimum primum*, Miserere mei Deus &c. Quo finito sequitur *Professionis Fidei Catholicæ antiqua Formula Theotisca*, cujus principium: *Ih intsago mih demo tiufeli unde allen sinnen uuerchen, unde allen sinen zhierden, unde fergiho dir Throbtin Got almahtiger scalclichero geborsam, na diu so du mih geuuerdest geuuisen durh dina almahtigun gnada. Ih glouba fasto an Got almahtigen: nu hilf aua du uilegnadiger Herro allen minen ungelouben. Ih gloube an einen Got Uater almahtigen, der dir skephari ist himelis unde erda, unde allero geskephidi*, &c. Absoluta hac *Professione Fidei Catholicæ*, integris duobus foliis comprehensæ, sequitur ibi-

(1) *Forsan etiam* ipsa Otfridi manu: *nam nec hujus conjecturæ satis probabilia desunt argumenta.*
(2) *Vide Analect. T. I. p. 643. usque ad 647.*
(3) *In Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ. Vide Analector. Tom. I. pag. 708. &c.*
(4) *Vide Analector. Tom. I. pag. 713.*

ibidem alia quædam æque *antiqua* *Formula Theotiſca Confeſſionis publicæ*, cujus principium: *Nu ne han ih filo ſundiger menniſco leidir mir neheine uuis rehte chriſtenlicho in goutemo lebenna die heiligen glouba ſo geuueret noh pehalten ſo ih ſcolta, unde han al mit den uuerchen leidir mir ferlougenot ſu es ih fergeben habe mit den uuorten dero gloube*, &c. Valde autem dolendum eſt, non ſolum *Formulam* hanc *Confeſſionis publicæ*, cujus pars ſuperſtes integris quinque conſtat paginis, in fine eſſe mutilam, verum etiam *omnes Pſalmos Davidis* a *quinquageſimo primo* vel, ſecundum Hebræos, *quinquageſimo ſecundo* uſque ad *centeſimum* vel, ſecundum Hebræos, *centeſimum primum* ibidem deeſſe, & negligentia atque imperitia eorum, qui de tam pretioſis margaritis non recte potuerunt judicare, vel omnino periiſſe, vel incognite alicubi forſan adhuc latitare in tenebris. Jam memoratæ igitur *Confeſſioni imperfectæ* ſubjunctus ibi eſt *Pſalmus centeſimus primus* vel, ſecundum Hebræos, *centeſimus ſecundus*, cujus principium: Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: *Trothin Fater gehore min gebet, und min ruoft chome ze dir; ſo lutreiſte uuerde min gebet, daz iz ze dir chome.* Ne avertas faciem tuam &c. Eodem modo ſequuntur deinde *reliqui Pſalmi* uſque ad *centeſimum quinquageſimum* ſive *ultimum*, cujus finis: Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis; omnis ſpiritus laudet Dominum: *Lobit in mit cimbon uuola skellenten unde guoten chlanc habenten, daz ſint unſera leſſa ſo ſi Got mit andahti lobent; elliu geiſtlichiu natura lobe unſeren Trothinen, diu fordiriſta giſcaft lobe in.* Hucuſque ipſum *Pſalterium.* Cui non ſolum eadem pagina, verum etiam eodem verſu, ſeu, ut vulgo loquuntur, linea, immediate ſubjungitur *Fragmentum Theotiſcæ* cujuſdam *Homiliæ Otfridi* in principium Capitis decimi *S. Lucæ* Evangeliſtæ, uti ex ſequenti exordio videre eſt: *Daz Euangelium zelit uns, daz unſer Herro* IHC XPC *zuo den heiligen boton imo iruueliti ſibinciz unta ziuueni iungerun, der er ie ziuueni unte ziuueni fure ſante mit ſinera predige in iegiliche burch unte ſtat, dare er ſelbi chomen uuolti. Die ziuueni iungerun, die er ſante in dera brediga, die pileichinent die ziuuei kibot dere minne, die niemir irfullet ni magen uuerden, niuuari ie doh zi minniſte unter ziuuain. In imo ſelbemo ni mac ſi nieman irfullen, ſuntir er ſcol ſi irfullen an einemo anderemo.* &c. Sequitur (1) hinc primo *Canticum* (2) *Eſaiæ Prophetæ* cum ejuſdem ſupra memorati *Otfridi* antiqua *Theotiſca Paraphraſi* hoc modo: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; converſus eſt furor tuus & conſolatus es me: *Ih lobon dih Trothin, uuanda du mir irbolgen uuare in demo ahteſale, unde mir auir din heizmuot peuuentit uuart ze gnadon, unde du mih auir getroſtiſt*, &c. Secundo, *Can-*

(1) *Vide Analect. Tom. I. pag. 712.*

(2) *Eſaiæ cap. 12.*

Canticum (1) *Ezechiæ Regis Judæ:* Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi; quæsivi reſiduum annorum meorum: *Yzecheas ſaget, uues er dahti, und uues er ſorgeta, do er ſih des todis feruuanti. Ih chot in unvoltani minero tago, nu faro ih hina ze hello; uuanda die unrehtin dara varent, die dir nicht ne irfullint dei uuerh dero tugende; fone diu ſo fortha ih mir: auer die rehten ſterbent in dero folmuſſi dero tage, alſo Abraham teta. Ih ſuohta daz zeleibu uuas, ſuohta uollunga minero tago, ze diu daz ih Abrame geliche irſterben muoſi*, &c. Tertio, *Canticum* (2) *Hannæ:* Exultavit cor meum in Domino: *Min herzha freuta ſih ana Trothine*, &c. Quarto, *Canticum* (3) *Moyſes:* Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt; equum & aſcenſorem projecit in mare: *Singit Trothine, chuit Moyſes, uuanda er guotlicho gituomit iſt: ros unde reitman uuarf er in dazh mere; den tiufal mit ſinen gicierden ubiruuant er in dera toufa*, &c. Quinto, *Canticum* (4) *Habacuc Prophetæ:* Domine audivi auditionem tuam & timui: *Ex* XPO *ſpricht der Propheta; Ih gihorta in demo geiſte, uuazh du pimeinet haſt umbe dazh manchunne celidenne, unde des irchom ih mih*, &c. Sexto, *Canticum* (5) *Moyſis:* Audite Cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei: *Gehorent himila diu ih ſpricho ce den Juden, uuort minis mundis gihore diu erda*, &c. Septimo, *Oratio Dominica*, quam (6) ſupra capiti quinto hujus Libri ſecundi integram inſerui. Octavo, (7) *Symbolum Apoſtolicum:* Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ: *Ih gloube an Got Uater almahtigen skephare himilis unde erda*, &c. Notabile autem eſt, huic *Symbolo* ibi ab *Otfrido* peculiare præmitti *Proœmium*, quo teſtatur, appellari illud antiqua lingua Theotiſca *Giuuerf*, hoc eſt, ut nunc diceretur, *Gewerf* ſive *Zuſammenwurf*, quoniam (8) *ſingulis ſingulorum Apoſtolorum ſententiis* collatum & compoſitum eſt, ut veri eorum diſcipuli & ſectatores Catholica illa Profeſſionis Fidei Chriſtianæ Formula, velut certa quadam teſſera militari, ſe invicem cognoſcerent. Ipſa *Otfridi* verba, quæ ſupra cum ejuſdem *Paraphraſi in Orationem Dominicam* minus convenienti loco ſunt edita, revera autem huc pertinent, hæc ſunt: (A) *Diſen* (9) *Salmon heizhen uuir GIUUERF, uuanda in die heiligen Poten giſammoten, unde ceſamine giuuurfen, dazh ihz zheichen ſi dera Chriſtenlichen gloube, alſo ouh in demo*

(1) *Eſaiæ cap. 38.*
(2) *Lib. 1. Reg. cap. 2.*
(3) *Exodi cap. 15.*
(4) *Habacuc cap. 3.*
(5) *Deuteronom. cap. 32.*
(6) *Vide Analect. Tom. I. pag. 715.*
(7) *Hujus* Symboli *Analect. T. I. pag. 712. & 715. omiſſa eſt mentio.*
(8) *Hinc etiam idem* Symbolum *latine vocatur* Collatio. *Vide Card.* Baronii *Annal. Eccleſ. Tom. 1. A. 44. pag. 315. edit. Antverp.*
(9) *Notabile eſt*, Symbolum Apoſtolicum *hic vocari* Pſalmum.

(A) *Laudata heic* orationis Dominicæ Ottofridi paraphraſis *in priori editione legebatur pag. 462. nunc autem in* Analectis *eſt p. 715. ubi ea verba ob iſtam rationem delevimus. Vide prioris editionis Lib. II. in erratis ad Lib. II.*

demo uuige dazh zheichen iſt an demo skilte, odar ana gieinoton uuorten iſt, dannam iogelichir ſine gnozh zhi irchennit. Nono, *Canticum* (1) *Zachariæ Prophetæ:* Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ: *Gelobit ſi Trohtin Got Iſrahelis, uuanda er ſinis folchis uuiſota, unde in loſta; dazh no doh chumftic uuas, dazh ſagete der uuiſſage*, &c. Decimo, *Canticum* (2) *Beatiſſimæ Virginis Deiparæ:* Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: *Min ſela lobot Got, und min muot freiuuita ſih an minemo haltare. Ih ni mac uzhuuert giougen, dazh ih inuuert habe; mina mendi bigrift chumo alle chrefte minere ſèla, noh min zhunge ne mac giſagen, uuazh ih freuui han in mir*, &c. Vndecimo, *Symbolum S. Athanaſii:* Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem: *Suuer ſo kehalten uuille ſin, demo iſt turft uore allen dingen, daz er habe dia gemeinun gelouba*, &c. Duodecimo, *Otfridi Homilia Theotiſca* in Parabolam Chriſti de patrefamilias, operarios in vineam ſuam conducente, quæ extat apud *S. Matthæum* cap. 20. Principium ejus hoc eſt: *Daz Euangelium zelit uns, daz daz himelrih kelih ſi demo husherro, der des morginis fruo in ſinan uuinkarten ſamenoti dei uuerhliuti. Uuer uuirdit rehtere kikagen mazzit demo husherren, denne unſer herro der heilige Chriſt, der dir rihtet alla die er kiſcuof, alſo der husherro rihtet alla die imo untertanen. Der huosherro ladote allen den tac die uuerhliute*, &c. Decimo tertio, ejuſdem *Otfridi Homilia Theotiſca* in parabolam Chriſti de ſeminatore & quadruplici ſeminationis ſucceſſu, quæ extat apud *S. Lucam* cap. 8. Principium ejus hoc eſt: *Unſer Herro der almahtige Got der ſprichet in deſmi Euangelio, ſuenne der acchirman ſuit ſinen ſamen, ſo fellit ſumelichiz pi demo uuege, unde uuirdit firtretin, oder iz ezzant di vogile; ſumelichiz fellit uf den ſtein, unte irdorret ſa, uuande iz dere fuohte, nieth ni habit;* &c. Hujus Homiliæ *tres* tantum ſuperſunt *paginæ*, reliqua autem multo major ejus pars ibi deficit. Hucuſque igitur recenſui, quo in ſtatu pervetuſtus ille *Otfridi Codex Ambraſianus* ad noſtram pervenerit ætatem, & quaſnam res præter ipſum *Pſalterium* contineat. Ejuſdem Operis meminit etiam *Joannes Trithemius* in (3) Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis & in (4) Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ, dum utrobique refert, *Otfridum in Pſalterium ſcripſiſſe tria magna Volumina eodem genere ſermonis* (nempe *Theotiſco*), *quo in Quatuor Evangeliſtas metricum Opus magnum & admirandum compoſuerat.* Per *tria* enim illa *magna Volumina* intelliguntur ibi *tres primariæ Pſalterii Partes*, quarum *prima* incipit a Pſalmo primo, *Beatus Vir*, &c. & pertingit incluſive uſque ad Pſalmum quinquageſimum *Miſerere mei Deus*

(1) *Lucæ cap. 1.*
(2) *Lucæ cap. 1.*
(3) *Vide Analect. Tom. I. pag. 650.*
(4) *Vide Analect. Tom. I. pag. 707.*

Deus secundum magnam misericordiam tuam &c. *secunda* incipit a Psalmo quinquagesimo primo, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate* &c. & pertingit inclusive usque ad Psalmum centesimum, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine* &c. *tertia* incipit a Psalmo centesimo primo, *Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat:* & pertingit usque ad Psalmum centesimum, quinquagesimum sive ultimum, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, &c. Quod restat, nec silentio hic prætereunda sunt alia *duo* æque antiqui cujusdam *Psalterii Theotisci exemplaria manuscripta*, quorum unum *Beatus Rhenanus* Libro secundo Rerum Germanicarum refert se vidisse *Argentorati apud Joannem Huttichium;* alterum autem *Justus Lipsius* in Epistola lectu dignissima ad *Henricum Schottium*, Vrbis Antverpiensis Syndicum, quæ Centuriæ tertiæ ad Belgas quadragesima quarta est, apud *Arnoldum Wachtendonckium* se conspexisse memorat. Et de *priori* quidem nondum satis mihi liquet, licet ipsa Rhenani verba, quibus ejus meminit, (1) supra Capiti quinto Libri hujus secundi integre inseruerim. de *posteriori* autem minime dubium est, quin illud ab *Otfridi Psalterio paraphrastico* diversum sit, utpote cum ipse *Lipsius* expresse testetur, *Germanicam* istius *Psalterii Interpretationem* non fuisse singulis versibus latinis paraphrastice subjunctam, sed tantum *inter lineas ad singula verba superscriptam.* Ipsa *Lipsii* ad rem præsentem maxime pertinentia verba sunt hæc: (2) *Appello ad libros majorum ævo scriptos: multa veteris Germanicæ Linguæ vocabula desita, multa obscura, nec nisi conjecturis indaganda. Et vis in paucis videri discrimen? NITHARDI, nepotis Caroli Magni, Historia beneficio Pithœi* (3) *extat de dissensionibus filiorum Ludovici Pii. Ibi* (4) *Juramentum est, quo concordiam inter se sanciunt* (5) *Ludovicus & Carolus:* (6) *Ludovicus* (7) *quidem ROMANA LINGVA, id est CORRVPTA hac GALLICA, sic peroravit:*

(8) *Pro don amur, & pro Xpian poblo, & nro commun salvament, dist di en auant in quant ds savir & prodir me dunat si salvarai eo cist meon fradre Karlo & in adjudha & in cadhuna cosa si cum om per dreit son frada salvar dist ino quid il mi altre si fazet & ab ludher nul plaid nunquam prin-*

(1) *Vide Analect. Tom. I. pag. 700. & 701.*

(2) *Ridet & refutat* Justus Lipsius *in ea Epistola nugas & ineptias* Joan. Goropii Becani, *qui publicis scriptis asserere conatus est*, Belgicam Linguam *esse primogeniam omniumque antiquissimam, & cæteras omnes linguas, ne* Hebræa *quidem excepta, ex ea velut matrice originem suam ducere.*

(3) *Edita primum est* Nithardi *illa Historia a P.* Pithœo *inter antiquos Annales Francorum Parisiis apud Claudium Chappelet A. 1588. in 8vo.*

(4) *Pagina videlicet 353. jam citatæ editionis Pithœanæ Parisiensis.*

(5) Rex Franciæ Orientalis; *de quo vide Analect. Tom. I. pag. 656.*

(6) Rex Galliæ *ejus nominis* Secundus, *cognomine* Calvus, *& postea Imperator Romanorum.*

(7) *Notabile est, duos hosce fratres in dando alteri jurejurando non sua, sed alterius lingua usos esse, ita nempe, ut* Ludovicus *intelligi posset a* Gallis, *& vice versa* Carolus *a* Germanis.

(8) *Hasce* duas Iuramenti formulas *multo emendatius seorsum edidit, & eruditissimis Annotationibus illustravit* Marquardus Freherus *Heidelbergæ A. 1611. in 4to.*

prindrai qui meon vol ciſſ meon fradre Karlo in damno ſit.

Quis hæc ceperit, niſi commodum interpretatio adjuncta in VETERI GERMANICA LINGVA? Sic enim idem Nithardus: Quod cum Ludovicus expleſſet, Karolus TEVDISCA LINGVA ſic hæc eadem verba teſtatus eſt:

(1) *In godes minna induites Xpanes folches ind unſer bedhere gealtniſi von teſemo tage frammordeſſo fram ſo mir got gewiz ei indi madh furgibit ſo hald ibtis an minam bruher ſcal inthi utha zermig ſoſo madno indunit laherem in nothe in mit hing nege gango theminam willon imo ce ſcadhen werben.*

Sed nec ea ipſa intelligenda, niſi compoſita inter ſe dent lucem, & interpretatione item noſtra addamus. Vidi PSALTERIVM VETVS apud inſignem & optimarum artium Virum Arnoldum Wachtendonckium, circa eadem illa tempora ſcriptum: Latinum quidem, ſed inter lineas, ad ſingula verba, Germanica interpretatione ſuperſcripta. Delectavit; legi & ſtudioſe elegi, quæ abire ab hodierna lingua videbantur. Pauca velut in guſtum dabo, rariora magis aut ſubducta. Abalgi, Ira: Abirthou, Poſtea: Aruſin, Curis, ut Galli Ruſes: Adro, Diluculo: &c. Habes quod ſufficiat in ſpecimen; & dic ſodes: pleraque omnia quam a ſermone hodierno divertunt? Verba plura ignota & deſita; ipſæ terminationes, caſus & conjugationes (ut Grammatici appellant) differentes. Et poſſim pleraque horum interpretari, aut ad origines ſuas ducere; ſed non agimus. Illud vide, quanta AB ANNIS circiter SEPTINGENTIS mutatio: quid igitur ab alteris alteriſque illis fuit? Errat enim, qui in re inſtabili maxime, id eſt, lingua, quærit firmitatem. Hucuſque *Juſtus Lipſius.*

XXIII.

Theol. 678.

Pſalterium germanicum membranaceum antiquum in *quarto*, una cum aliis variis *Veteris & Novi Teſtamenti Canticis ſacris, Symbolo Athanaſiano & Litania.* Translatio *Pſalterii* incipit his verbis: *Selig iſt der man, der nicht abgieng in den rate der ungütigen, und in dem wege der ſünder nicht ſtund*, &c. Extant in eodem Codice *duodecim figuræ*, certis intervallis a ſe invicem diſtantes, quarum quælibet repræſentat unum ex *duodecim SS. Apoſtolis* cum *ſententia* non ſolum *adſcripta*, verum etiam *adpicta*, quam is ad compoſitionem *Symboli Apoſtolici* (2) contuliſſe creditur. Poſſedit olim hunc Codicem *Vlricus Comes de Helffenſtein & Baro de Gundelfingen*, ut ipſe ultimo ejus folio teſtatur hac propriæ manus inſcriptione:

I. 5. K. 6. 1.
Furcht Gott: Lieb dein Nechſten.
Vlrich Grave zu Helffenſtein, Freyher zu Gundelfingen.

XXIV.

Theol. 187.

Pſalterium germanicum chartaceum in *folio* cum *Muſica Eccleſiaſtica* ſingulis *Pſalmis* præfixa, & cum *Appen-*

(1) *Multo emendatior hujus Juramenti lectio extat in ſupra memorata editione* Marquardi Freheri.

(2) *Vide ſupra pag. 548.*

pendice, quæ præter varia *Veteris & Novi Teſtamenti Cantica ſacra*, etiam cæteros totius anni *Hymnos Eccleſiaſticos*, e *Latina* in *Germanicam* Linguam translatos, continet. Titulus *Pſalterii* hic eſt: *Hie hebt ſich an der Pſalter zu der Metten und Veſpern, und allen Tagzeiten zu den gemain tägen durich das gantz jar.* Ipſius autem *primi Pſalmi* verſio incipit hoc modo: *Selig iſt der man, der nicht gegangen iſt nach der pöſen rat, noch geſtanden in der ſunder weg, und auf dem ſezzel todleicher ſucht iſt nicht geſeſſen:* &c. Scriptum eſt hoc Opus An. 1477. auſpicio & ſumptibus *Imp. Friderici V*, ut apparet ex (1) ſupra memorato ipſius *Symbolo* A. E. I. O. V. quo prima pagina inſignita eſt. In fine ejuſdem Operis legitur hæc ſubſcriptio: *Explicit per manus Eraſmi Werdener de Delitſch, in Miſnia ſito, feria ſexta ante Feſtum Aſcenſionis Domini 1477.*

XXV.

Theol. 358.

Canticum Canticorum Salomonis latine, membranaceum in *folio, cum Willerami Abbatis Mersburgenſis gemina Paraphraſi, Latina* videlicet *metro-rhythmica* & *Germanica veteri proſaica.* Vixit floruitque, *Willeramus* iſte ſub *Imp. Henrico IV.* circa A. C. 1070. & 1080. ut teſtatur *Joannes Trithemius;* qui in *Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ* non ſolum ipſius, verum etiam jam memoratæ *Paraphraſeos in Canticum Canticorum* meminit his verbis: A *WILLERAMVS Abbas Cœnobii Mersburgenſis, Ordinis Divi Patris Benedicti, Vir in divinis Scripturis eruditus & ſecularis literaturæ non ignarus, carmine doctus & proſa, non minus vita, quam ſcientia clarus effulſit. Qui cum literis & Philoſophiæ in Gymnaſio Pariſienſi aliquamdiu operam navaſſet, rediit ad Patriam ſuam, Franciam ſcilicet Orientalem, quæ & Franconia dicitur; & propter eminentiam doctrinæ Bambergenſis Eccleſiæ Scholaſticus factus, dulce literarum contubernium non deſeruit. Tandem conſiderans vanam Mundi gloriam tranſire cum tempore, ſpreto ſeculo, contemptiſque rebus mundanis pro amore Dei, monachicum ſchema in Monaſterio Fuldenſi induit, & creſcentibus meritis, poſtremo Abbas apud Mersburgum electus fuit. Scripſit autem OPVS METRO ET PROSA MIXTVM SVPER CANTICA CANTICORVM, quod prænotavit DE NVPTIIS CHRISTI ET ECCLESIÆ, Libris tribus: Sermones quoque varios ad fratres, & plures, ut ferunt, Epiſtolas ad diverſos. Alia quoque multa compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Henrico (2) quarto, an. Domini MLXXX.* Item in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *WILLERAMVS Abbas Mersburgenſis Ordinis S. Benedicti natione Teutonicus, Vir in divinis Scripturis eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, carmine exercitatus & proſa, cum in Univerſi-*

(1) *V ſupra pag. 537.*

(2) *In ejuſdem* Trithemii Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *ubi is de eodem* Willeramo *agit pro* Henrico quarto *perperam legitur* Henrico tertio. *Idem quoque error extat in* Pauli Merulæ *editione* Lugduno-Batava.

versitate Parisiensi aliquamdiu literis impendisset studium, ad patriam reversus, Bambergensis Ecclesiæ Scholasticus factus est. Tandem considerans, Mundi gloriam transire cum tempore, contempto seculo, in Fuldensi Cœnobio pro Christi amore monachum induit, & postremo crescentibus meritis, in Monasterio S. Petri prope Mersburg Abbas consecratus, nomen suum scribendo posteris notificavit. De cujus Opusculis ego tantum legi VOLVMEN METRO ET CARMINE, MIXTA PROSA, pulchra varietate compositum DE NVPTIIS CHRISTI ET ECCLESIÆ IN CANTICA CANTICORVM LIBRIS TRIBVS; cujus Voluminis principium: CVM MAIORVM STVDIA INTV. De cæteris nihil vidi. Claruit sub Henrico (1) quarto, anno Domini 1070.

A Hæc *Joannes Trithemius* de *Willeramo Abbate Mersburgensi*, & *Paraphrasi* ejus in *Canticum Canticorum* (A), quam dixi extare in Codice illo manuscripto *Ambrasiano*, de quo in præsens agitur. Scriptus autem est hic Codex, ut ex forma literarum, aliisque variis circumstantiis apparet, *ipso Willerami ævo*, imo forsan *propria ipsius manu*, & sine B ulla controversia longe præferendus est illi, ex quo *Paulus Merula* illud Opusculum Lugduni Batavorum typis Plantinianis Christophori Raphalengii An. 1598. in octavo primus curavit imprimi. Tanta enim & tam multiplex inter *Batavam* illam *editionem* impressam, & vetustissimum hunc *Codicem manuscriptum* est differentia, ut ad eam demonstrandam C *integra nova editione* sit opus; quemadmodum ex subjuncto specimine videre est.

VOX SYNAGOGÆ.

Quem sitio votis,
nunc oscula
porrigat oris.
Quem mihi venturum
prompserunt organa vatum,
Nunc etiam per se
præsens dignetur adesse,
Oscula præbendo,
sua dulcia verba loquendo.

OSCVLETVR ME OSCV LO ORIS SVI.

CHúser mih mit chúse
sines múndes. Dicco
gehízher mír sine
chúnft per
Prophetas: mu
chúmer selbo
unde chússe
mih mit dero
suozh zhe sines Euangelii.

Ver-

(1) *Pro* Henrico quarto *perperam hic vulgo legitur* Henrico tertio.

(A) *Vide* JOAN. SCHILTERI Thesaurum Antiquitatum Teutonicarum Tom. I. p. 275. *ubi laudatum opusculum anno* CIↃIↃCCXXVIII. *Ulmæ excusum reperies, & simul ex* SCHILTERO *audies, seductum fuisse a* TRITHEMIO LAMBECIUM *quoad locum, ubi* WILLERAMUS *fuit* Abbas, *quem* FREHERUS *aperuit;* FREHERUM *autem, teste* SCHILTERO, LAMBECIUS *non legerat. Porro dolui admodum, doctissimum* SCHERZIUM *pro culta editione sua codicis nostri usum obtinere non quivisse.*

Vbera nempe tui
præcellunt pocula vini,
Suaviter unguentis
fragrantia ſat pretioſis.
Mitificans veterem
tua lenis gratia legem,
Gratis juſtificat,
quos lex punire jubebat.
Hoſque tuis donis
dum ſpiritualiter ungis,
Reddunt præclaram
poſt turpia crimina famam.

QVIA MELI ORA SVNT VBERA TVA VINO, FRA GRAN TIA VN GVEN TIS OPTI MIS.

Uuánda bézhzer ſínt dine
ſpunne démo wine: ſie
ſtin chent mit den bezhzeſten
ſalbon. Diú ſuózhe dinero gra-
tiæ iſt bézhzera dánne diú ſcar-
phi déro legis, alſo izh qúit.
Lex per Moyſen data eſt; gra-
tia & veritas per Jeſum Chri-
ſtum facta eſt. Diú ſelba gná-
da iſt gemiſcet mit variis donis
Spiritus Sancti, mit dén dú ma-
choſt ex peccatoribus juſtos ex
damnandis remunerandos.

Sponſe tuum nomen
olei prædulce liquamen,
Quod ſe dilatat,
dum largo pectore manat.
Gratia nam ſtillat,
ſed & ipſa voce redundat:
Chriſticolæ dicti
nam ſunt de nomine Chriſti.

OLE VM EF FVSVM NO MEN TV VM

Dín námo iſt úzhge-
gozzenaz ole.
Dín námo iſt wí-
teno gebreitet,
uuánde uóne dir
Chriſto heizzen
wir Chriſtiani.

Inde places teneris
tu, dulcis Sponſe, puellis:
Scilicet una ſalus
in te ſanctis animabus,
Quas renovat lavacrum,
veſtit ſtola juſtitiarum.

IDEO IADO LESCEN TVLÆ DILEXE RVNT TE.

Vóne diú minnont
dih díe iunkfroúwn;
dázh ſínt díe ſéla,
díe dér geiunget ſínt
in démo toúfe, unde
gewátet mit veſte innocen-
tiæ.

VOX ECCLESIÆ.

Attrahe me poſt te,
me ſolam nil ſcio poſſe:
Sic unguentorum
currens in odore tuorum
Advoco quos poſſum
comitatum pergere noſtrum.

TRAHE ME POST TE: CVRREMVS IN ODORE VNGVEN TORVM TVO RVM.

Zúch mih náh dir,
ſo loúfon uuir in
demo ſtánche díner
ſalbon. Ih bechenne mín
unchraft, uone dannan
hílf mir mit dinen gena-
don ſo ſcunde ih ándera
ze dinemo wéga.

In

In ſua, quæ ſtruxit,
me Rex cellaria duxit;
Significans per ſpem,
quæ tradet poſt mihi per rem.

INTRO DVXIT ME REX IN CELLA RIA SVA.

Dér Chuning léita mih in ſin gegademe. Ih wéiz nú in fide & ſpe díe gnâda, díe ér nôh gíbet in re.

In nobis minime,
tantum lætabimur in te,
Non velut immemores,
ſed amore pio recolentes,
Sævitiam legis
quia mollit gratiam lenis,
Non noſtris meritis,
ſed ſolo munere dantis.

EXVLTABI MVS ET LÆTABI MVR IN TE, MEMO RES VBE RVM TVO RVM SV PER VI NVM.

Vvir ſprunzegen unde vrowen unſih an dih als an uns ſelbon; wir gehúhtige dinero ſpunne uber uuín. Uuír ne wóllen níetb uérgezzan, dáz díu gnadu dínes Euangelii ſuózer iſt danne díu auſteritas der euuon. Lex díu quit: Si quis hoc vel illud fecerit morte moriatur. Du quíſt áuo in dinemo Euangelio: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.

Hæc quia das gratis,
a rectis rectus amaris
Non niſi te juſtus,
perfecte diligit ullus,
Nec tamen eſt juſtus,
niſi qui te diligit, ullus.

RECTI DI LI GVNT TE.

Díe réhton minnónt dih. Dih ne minnót níeman, érne ſi réht, unde nieman íſt réht érne minne dih.

Fuſca licet videar
ut caſtra nigrantia Cedar,
Sum ſpecioſa nimis
veluti pelles Salomonis:
Fuſca quidem plagis,
ſed honore nitens bonitatis.
Perfero grande malum
natos inter tenebrarum,
Attamen internæ
virtutis compta decore,
Pacifici veri
templum conabor haberi.

NIGRA SVM, SED FOR MOSA, FILIÆ HIE RVSA LEM, SICVT TABER NACV LA CE DAR, SICVT PEL LES

Ih bin ſálo ſámo díe herebirga Cedar, unde bin áber wâthlich ſámo díu gezhelt Salomonis. Cedar, qui interpretatur tenebræ. Er wás Iſmahelis ſún, uone demo Iſmahelitæ choman ſint, díe der huſére ne habent, ſúnder ekkerent vílzbus unde andera únuuatliche herebirga. Mit Cedar ſint filii tenebrarum bezeichnet, uone den ih mih chlagon. Aber doch ſuíſe ih mit perſecutionibus & ærumnis uon in gequélet ſi, ih hábo dóch wâtlichíe in virtutibus, unde bidíu wirdíg bin viſitatione & inhabita-

SALO MONIS

tione veri Pacifici, id est Christi. Tabernacula die wêrdent ex pellibus mortuorum animalium, also machôn ih tabernaculum Deo án dén, qui carnem suam mortificant cum vitiis & concupiscentiis.

O vos vicinæ
cur sim tam fusca videte:
Ob nimium Solem
pulchrum deperdo colorem;
Gloria virtutum
pallet fervore malorum.
Dum premor a pravis,
nec sunt mihi tempora pacis:
At decus interius
pressuris fit quoque majus.

NOLI TEME CONSI DERARE QVOD FVSCA SIM, QVIA DE COLO RAVIT ME SOL.

Ne tuônt dés nieht wara daz ih so salo si; ez tuôt mir michel nôt, wanda dîu heiza sunna hat mir mine scone benoman. Ne sehent daz nieth âna weliches leides ih lebe, sehent daz ana, daz ih darumbe mih niene gloubon minero virtuosæ constantiæ, mit dero ih behalto mine interiorem pulchritudinem.

Hucusque *principium* præstantissimi istius Codicis manuscripti, tanquam qualecunque totius Operis exiguum *specimen.* Ubi *primo* notandum est, unamquamque *paginam* divisam esse in *tres columnas*, ita ut prima contineat *Latinam Cantici Canticorum Paraphrasin metro-rhythmicam;* secunda autem sive media ipsum *Cantici Canticorum contextum Latinum* prosaicum secundum vulgatam Sacrorum Bibliorum versionem; tertia denique ejusdem *Cantici Canticorum Paraphrasin antiqua lingua Theotisca* sive *Germanica*, qualis *Willerami* ævo usitata fuit in *Francia Orientali* sive *Franconia.* Has igitur cujusque paginæ istius Voluminis *tres columnas* intelligit *Joannes Trithemius*, dum (1) supra citatis locis scribit, Opus *Willerami* in Canticum Canticorum *tribus libris* constitisse. Notandum *secundo* est, *Germanicam* hujus Codicis *scripturam*, non solum quod ad ipsam veteris linguæ *Franconicæ* dialectum, verum etiam quod ad *figuras literarum* & *ortographicam* (2) *accentuum rationem* attinet, *duobus* illis (3) supra memoratis *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* rarissimis Codicibus manuscriptis, quibus *Otfridi antiqua Theotisca Paraphrasis in Psalterium Davidis & quatuor Evangelia* continetur, esse persimilem: contra autem singulis fere verbis ab eadem longe discrepare *Batavam* illam *Pauli Merulæ* (4) *editionem*, ut ex subjuncto ejus

(1) *Vide Analector. Tom. I. pag. 650. & 707.*
(2) *Vide Analect. Tom. I. pag. 657.*
(3) *Vide Analect. Tom. I. pag. 677.*
(4) *Res ipsa indicat, Codicem illum manuscriptum, quem* Paulus Merulus *in editione sua impressa secutus est, fuisse exaratum a* Batavo *aliquo vel* Anglo, *qui genuinam illam linguam* Theotiscam Willerami *ævo in* Franconia Orientali *sive* Franconia *usitatam, ad* Batavicam *suam vel* Anglicam *dialectum accommodans, de industria illam valde interpolaverit.*

ejus principio, si cum superiori Co- A dicis hujus manuscripti *Ambrasiani* lectione conferatur, primo intuitu videre est.

Cusse her mich mit themo cusse sines mundes. Thicco gehiezzer mir sine cuomst per Prophetas: nu cume her seluo, ande cusse mich mit thero suoze sines Euangelii. Wanda bezzere sint thine spune themo wine, sie stinchen mit then bezzesten saluon. B *Thiu suoze thinere Gratiæ, is bezzera than thiu skarphe thero legis, also hiz quiit: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est: Thiu selua genatha is gemisket mit variis donis Sancti Spiritus, mit then thu machost ex peccatoribus justos, ex damnandis remunerandos. Thin namo is uzgegozzen oley. Thin namo is wide ge-* C *breydet, wanda vano thir Christo heyzen wir Christiani. Vano thiu minnon thich the iunc, frouwan; that sint the sielan, thether iugethet sint in thero doupha, und gewadet mit veste innocentiæ.*

Zich mich nah thir, so louphen wir in themo stanke thinere saluon. Ich bekenno mine unkraft: vane then helph mich mit thinan genathan, so D *scundich andere ze thinemo wega. Ther Cunig leydede mer in sine genathema: ich weyz nu in fide & spe the genatha, the miu noch beydet in re. Exultabimus, ande wer vreuwen uns ana thich, els an vns seluon, wir gehugega thinere spune ouer then win. Wir ne willon niet vergezzan, thaz thiu genatho thines Euangelii suozer is, than thiu austeritas thero ewo. Lex thiu quiit: Si quis hoc vel illud fecerit, morte mo-*

riatur. Tu quithes auor in thinemo Euangelio: Non veni vocare justos, sed peccatores. Thie rechte minnon thich. Thich ne minnot nieman, her ne sii recht, ande nieman ne is recht, her ne ne minno thich.

Ich bin salo samo thiu hereberga Cedar, ande ich bin auor watelich samo thiu gezheit Salomonis. Cedar, qui interpretatur tenebræ, her was Ismahelis sun, van then Ismahelitæ cuman sin, the ther huse ne hauan, sunder okkeret wildes shuda, ande andere vnwateliche herebergan. Mit Cedar sint filii tenebrarum bezeychnet, van then ich mir clagon. Auor thach so wieso ich mith persecutionibus & ærumnis van him gequelet si, ich hauo thach watlicho in virtutibus, and be thiu werthich him visitatione & inhabitatione veri Pacifici, id est Christi. Tabernacula thiu werthen ex pellibus mortuorum animalium, also machon ich tabernaculum Deo an then, qui carnem suam mortificant cum vitiis & concupiscentiis. Ne duont thes niet wara, thaz ich so salo him, hiz duot mir michol nood: wanda thiu heizza sim na hauet mir benoman mino scona. Ne seent thaz niet ana weliches leythes ich leuon, seent thaz ana, thaz ich thar vmba mich niene gelouuon minere virtuosæ constantiæ; mit thero ich behaldon mine interiorem pulchritudinem.

Ex hoc igitur *principio*, tanquam exiguo quodam *specimine*, abunde apparet, quantum *interpolata* illa *editio Batava* discrepet, a *vera* & *genuina* ejusdem Paraphraseos *lectione*, quæ extat in illo omnium vetustissimo & optimo Codice manuscripto, qui

qui ex *Arce Ambraſiana* in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* translatus eſt. Cæterum ne quis exiſtimet, *antiquæ* tantum *Germanicæ linguæ* reſpectu neceſſarium eſſe, ut *Willerami* illud *in Canticum Canticorum* inſigne *Opus* nova editione de integro producatur in publicum, ſubjungo hic etiam alia nonnulla exempla, obiter a me obſervata, ex quibus *primæ editionis mendoſa* & *mutila* conditio qualitercunque poſſit conſpici.

Pag. 1. pro

Gratia NON ſtillat, ſed & ipſa voce redundat,

legendum eſt

Gratia NAM ſtillat, ſed & ipſa voce redundat.

Pag. 6. pro

Significans per ſpem, quæ tradet POST MODO per rem,

legendum eſt

Significans per ſpem, quæ tradet POST MIHI per rem.

Pag. 16. pro

Faſciculum myrrhæ VIDEOR MIHI PECTORE FERRE,
Dum recolo ſponſum pro memet mortificatum,

legendum eſt uno verſu auctius

Faſciculum myrrhæ PVTO DILECTVM REDOLERE.
MOEROR INEST ANIMÆ QVASI MYRRHÆ.
SVCCVS AMARÆ,
Dum recolo ſponſum pro memet mortificatum.

Pag. 28. pro

Judicat hunc capreæ ſimilem mea mens hinnuloque,

legendum eſt

Comparat hunc capreæ ſenſus meus hinnuleoque.

Pag. 45. pro

Adjuro vos &c. Thaz ſelua vers ſteed ough thar voran ad tale ſignum ✠. Thaz eyno is auor ze merchene, thaz that eriſte vers hored ad Eccleſiam de gentibus congregatam, ande &c.

legendum eſt

Adjuro vos &c. *Dáz ſelba uérs ſtét óuh da vóre ad tale ſignum ✠. Dázh eína iſt áber híe zhemerchenne dázh dázh érera vérs hóret AD PRIMITIVAM ECCLESIAM DE IVDÆIS COLLECTAM, únte áber dízh vérs hóret ad Eccleſiam de gentibus congregatam, únte* &c.

Pag. 56. pro

Cum ratione dupla tua conſtet vita VENVSTA,

legendum eſt

Cum ratione dupla tua conſtet vita PVDICA.

Pag 57. pro

HIS ovibus tonſis & puro flumine lotis
Comparo, quas fœtus COMITANTVR quaque gemellus.

legendum eſt

HOS ovibus tonſis & puro flumine lotis
Comparo, quas fœtus COMITATVR quaque gemellus.

Pag. 161. inter hos duos verſus

Omnibus in populis dignis habitanda colonis.
Mille numiſmatibus vir fructum comparat ejus,

deſunt *quatuor verſus* una cum contextu Cantici Canticorum proſaico latino & antiqua Paraphraſi Germanica hoc modo (A):

Hanc

(A) *Extabant hi verſus in editione Hagenoenſi anni* CIↃIↃXXVIII. *fol. 84. pag. 2.*

Hanc qui plantavit,
custodibus ipse locavit
Ecclesiæ Sponsus,
culturam impendere promptus.
Spiritibus superis,
Doctoribus atque Prophetis.
Hanc defendendam
contradidit atque colendam.

TRA
DI
DIT
EAM
CV
STO
DI
BVS.

Dér Hérro dér dén wingarton pflánzheta, dér hât imo wínzhúrnela gezétzhet. Mín Sponsus hât sine Ecclesiam biderben agricolis beuolehan, Prophetis, Apostolis, Doctoribus. Er hât íro oûh gescáffet díu Angelica præsidia, mít den síu bewáret wírdit contra tentationes & dæmonum infestationes.

Deest denique eidem illi primæ editioni tota *Willerami Præfatio*, quæ, ut *Joannes Trithemius* (1) supra citato loco testatur, incipiebat his verbis: *Cum majorum studia*, &c. Extat quidem ea in præstantissimo isto, de quo in præsens agitur, Codice manuscripto; sed ordine præpostero, nempe *in fine*. Quamobrem verisimillimum mihi videtur, esse hoc illud ipsum *archetypum exemplar*, quod *Willeramus* ex tumultuariis compositionis suæ schedis primum *propria manu* pure descripsit; absolutoque Operi pro *Epilogo* potius, quam *Prologo* illam demum adjectam esse *coronidem*, quæ postea vel ab ipso *Willeramo*, vel ab aliquo alio ex *Epilogo* in *Prologum* mutata est. Quamvis autem jam memorata *Conclusio* in hoc Codice non extet integra, utpote cum *penultimi folii dimidia pars inferior* scelerati cujusdam hominis manu abscissa sit; attamen repræsentabo eam hic bona fide, quemadmodum nunc ibi legitur vel mutila (A).

CVM (2) *tione quicquam consulti exhibent. Vnum*
MAIO in Francia comperi (3) *Lantfrancum nomi-*
rum stu ne antea maxime valentem in dialectica
- - - - - - - - - - - - - - - - (4) *sse studia*
- -

(1) *Vide supra pag. 550.*

(2) *Ita inferior istius paginæ pars ibi divisa est in duas columnas.*

(3) *Hic est ille* Lantfrancus, *patria* Papiensis, *qui ex* Abbate Catomensi *evasit* Archiepiscopus Cantuariensis *Anno C. 1070. & anno 1089. obiit. Vide* Honorii Augustodun. *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14.* & Sigebert. Gemblacens. *cap. 155. ubi eum cognominat* Dialecticum. *Consule etiam R. P.* Philippi Labbei *Dissertationem ad Card.* Bellarmini *Librum de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

(4) *Videtur hic legendum esse* tractasse *vel* coluisse.

(A) *Prologus iste integer jam dudum editus, extabat in editione paraphrasis latinæ a* MENRADO MOLTHERO *facta Hagenoæ per* GUILIELMUM SELTZ *anno* CIƆIƆXXVIII. *Habetur ibi insuper alius prologus metricus* WILLERAMI *ad* HENRICUM *Regem, cujus principium:* Henrico Regi &c. GENT.

Desunt hic utrinque duodeviceni circiter versus seu, ut vulgo loquuntur, lineæ.

- -

(1) - - *occurrat, quod investigatur. De meo nihil addidi, sed omnia de Sanctorum Patrum diversis expositionibus eruta in unum compegi, & magis sensui, quam verbis, tam in versibus, quam in* (2) *teutonica operam dedi. Eisdem versibus interdum utor, quia, quæ Spiritus sanctus eisdem verbis repetivit, hæc etiam me eisdem versibus sæpius repetere, non indecens visum fuit. Expositionis tenorem sponso & sponsæ sicut in corpore, sic in versibus & teutonica placuit adscribi, ut majoris autoritatis videatur, & quivis legens, personarum alterna locutione delectabilius afficiatur. Nescio an me ludit amabilis error, aut certe qui Salomoni pluit, mihi etiam vel aliquantum stillare dignatur. Interdum ea legens, sic delectabiliter afficior, quasi hæc probatus aliquis composuerit auctor. Opusculum hoc, quam diu vixero, doctioribus emendandum offero: si quid peccavi, illorum monitu non erubesco eradere, si quid illis placuerit, non pigritor ADDERE.*

XXVI.

Theol. 380.

Epistolæ sacræ, & alia Veteris & Novi Testamenti selecta Fragmenta, quæ loco *Epistolarum* cum *Dominicis*, tum aliis quoque *festis diebus* per totum annum in Ecclesia Catholica publice solent legi aut cantari, *antiqua lingua Germanica*, magna ex parte *rhythmica*, Anno C. 1210. in *membrana*, & quidem in *quarto*, exaratæ, quarum Titulus & principium:

Hye hebt sich der Epistler an. Der Suontag von unsers Herren zuchunfft. Paulus sprach tzu den Romern:
Nu wisset Pruder, ez ist tzeit,
Swer nu in dem slaffew leit,

Das

(1) *Hic incipit istius* Codicis folium ultimum, *in cujus* pagina priori, *quæ* unam *tantum*, & *ne integram quidem*, *continet* columnam, *hæc scripta sunt.*

(2) *Subauditur hic* Paraphrasi. *Quæ autem hic vocatur* Teutonica *lingua*, *prorsus eadem est*, *quam* Otfridus & Ermoldus Nigelus *vocant* Theotiscam & Franciscam *sive* Francicam. *Vide Analector. Tom. I. pag. 667. & 668.*

Das er nu ſchol auffſtan,
Vnd ſchol den ſlaff gar verlan,
Vnd wachet mit hertzen und mit augen,
Vnſer hail iſt nahenner, wen wir gelawben;
Dy nacht iſt nu gar für,
Der tag uns eylet für dy tür, &c.

Codex hic ſingularis eſt & rarus, quem *Imp. Maximilianus I.* valde adamavit. In fine ejus legitur hoc diſtichon rhythmicum:

Wer das puch gern liſt,
Der wird witzig und ain guter chriſt.

XXVII.

Theol. 328.

Apocalypſis S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ *latino-germanica, chartacea* in *folio*, una cum *Vita* ipſius, & multis figuris ligno inciſis, quæ propter vetuſtatem ſuam ſpectatu ſunt digniſſimæ.

XXVIII.

Theol. 54.

Explicatio *Evangeliorum Germanica antiqua membranacea* in *folio*; cujus principium: *In dem anegeng was daz wort* &c. Explicatio autem ipſa incipit his verbis: *Die andren Euangeliſten ſchreibent, daz unſer Herre geporn ſei in der zeit diſer welt, daz iſt, nach der menſchcheyt; Sant Johans ſchreibet und betzeuget, daz der gebeſen iſt in dem Vater, als in dem anegenge evichleich*, &c.

XXIX.

Theol. 206.

Volumen *chartaceum* in *folio*, quo, ut ex *Indice præfixo* videre eſt, hæc continentur.

Manuale Confeſſorum Fratris (1) *Johannis Nider Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Profeſſoris;* cujus principium: *Quoniam juxta B. Gregorii in ſuo Paſtorali ſententiam Regimen animarum eſt ars artium, idcirco* &c.

Tractatus S. Bernhardi (2) *de plantu Glorioſæ Virginis Mariæ in paſſione filii ſui Domini noſtri* Iesv Christi; cujus principium: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis imbrem* &c.

Sermones Quinquageſimales Autoris anonymi, quorum principium: *Deus Hebræorum vocat nos* &c. Autoris anonymi *Tractatus de Contemptu Mundi*, cujus principium: *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo ſunt*, &c.

Sermones collecti a Doctore Wenck & Trutzenbach ab Adventu Domini uſque ad Dominicam 23. poſt Trinitatis.

XXX.

Theol. 178.

Volumen *chartaceum* in *folio*, quo continentur anonymi cujuſdam Autoris varii *Sermones ſacri;* item *Vocabularium Sacerdotum*, & *Fratris Conradi, Profeſſoris Sacræ Theologiæ Tractatus alphabeticus de Gemmis*

(1) *De hujus* Joannis Nideri *ſcriptis vide* Joan. Jac. Friſii *Bibliothecam Vniverſalem & Antonii* Poſſevini *Apparatum Sacrum; ubi tamen* Manualis Confeſſorum *nulla fit mentio. Vnde apparet hoc illis fuiſſe incognitum.*

(2) *Secundum Card.* Bellarminum *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis indigna eſt hæc* Lamentatio B. Virginis, *ut* S. Bernardo *tribuatur, quippe quæ ineptias & falſa nonnulla continet.*

mis & lapidibus pretiosis; cujus principium: *Reverendo Domino, Domino Hynconi Fr. Conradus* &c.

XXXI.

Theol. 130.

Volumen *chartaceum* in *folio*, quo, ut ex *Indice præfixo* videre est, hæc continentur.

Excerpta ex Jacobi de Voragine, Episcopi Genuensis, *Sermonibus dominicalibus per totum annum*, & ejusdem *Sermones de Beata Virgine.*

Sermo quidam *de Cæna Domini*, cum subjuncta brevi *Significatione de Missa.*

Vdalrici Abbatis in Campo liliorum Sermones figurativi, quorum titulus *Concordantia charitatis.*

Varii *Sermones de Sanctis.*

Pharetra Virtutum & Vitiorum.

Tractatus *de occultatione vitiorum sub specie virtutum*, scriptus Anno 1467.

Speculum Regum (1), *compositum per Magistrum Gotfridum Viterbiensem, Imperialis Aulæ Capellanum, ad Dominum Henricum VI. Regem Romanorum & Theutonicorum, filium Friderici Imperatoris de Genealogia omnium Regum & Imperatorum Trojanorum, & Romanorum, & Theutonicorum a tempore diluvii usque ad eundem, secundum Chronica Venerabilis Bedæ Presbyteri, & Eusebii, & Ambrosii.* Epistola dedicatoria ad Imp. Henricum VI. incipit his verbis: *Scientia literarum, o Heinrice, omnium Regum felicissime, qua tuam Eminentiam video eruditam, scribenti mihi de Imperiali Prosapia multam præbet audaciam, &, cum ad res arduas pauca sit mihi differendi facultas, ad edenda, quæ proposui, Regia me literatura confortat; quia, cum illiteratis & rudibus Philosophica argumenta proponimus, dum oblata non intelliguntur, incassum laborare videmur. Gaudeo igitur, me habere Regem philosophantem, cujus Majestatem non oporteat in causis Reipublicæ scientiam ab aliis mendicare*, &c. Quod autem ipse *Gotfridus* hoc suum Opus inscripserit *Speculum Regum*, testatur ipse in eadem Epistola dedicatoria paulo post his verbis: *Præsentis vitæ homines præsentia tantum cognoscunt, librorum vero continentia ab ineuntibus seculis omnia legentibus repræsentatur & de rebus futuris ac præteritis illa cognoscere, quæ omnes viventes homines nequeunt edocere. Eapropter in hoc Opere, quod SPECVLVM REGVM appellatur, decet tuam Eminentiam assidue speculari*, &c.

Collectura Sermonum de certis festivitatibus Sanctorum.

Sermo Magistri Hainrici de Hassia de Assumptione Beatæ Virginis Mariæ; cujus principium: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano* &c.

Tractatus de Officiis, Locis & Personis ad Sacra deputatis.

Magistri Hainrici de Hassia Tractatus de clavibus sacerdotalibus; cujus principium: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum* &c.

Duodecim Impedimenta matrimonii, & *Arbor consanguinitatis.*

XXXII.

Pontifici Vrbano tertio, & a Joan. Pistorio *in Tomo secundo Scriptorum Rerum Germanicarum editum est.*

(1) *Ita hic* Titulus *ibi scriptus est, quemadmodum eum integre hic exhibeo. Diversum autem est hoc Opus ab ejusdem* Gotfridi Viterbiensis Pantheo, *quod ipse dedicavit Summo*

XXXII.

Theol. 241.

Jordani(1), Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, *Homiliæ* ſive *Sermones ſacri chartacei* in *folio;* quorum principium: *Expedita prima parte tertiæ partis, quæ fuit de Chriſti paſſione, ſequitur ſecunda pars ejuſdem, quæ tractat de Ejus Reſurrectione*, &c. In fine legitur hæc ſubſcriptio: *Explicit ſecunda Pars Jordani per æſtatem, ſcripta & completa per me Conradum Brampach de Erfordia, tunc temporis moram tenentem cum Honorabili Viro Domino Conrado Huter, perpetuo Vicario in Ebenheim ſuperiori ſub anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, ipſo die S. Florentii Epiſcopi Argentinenſis.*

XXXIII.

Theol. 234.

Volumen *latinum chartaceum* in *folio*, quo continentur hæc:

Eberhardi de Parentinis Ordinis Prædicatorum Provinciæ Toloſanæ Tractatus ſuper totum Officium Miſſæ, compoſitus A. 1339. & deſcriptus manu Jacobi Schuch de Eslingen A. 1454.

Tractatus de puſillanimitate cordis;

Tractatus de tribus noviſſimis;

Tractatus de confeſſionibus;

S. Thomæ Aquinatis Expoſitio Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ Ave Maria, &c.

Quæſtiones quædam de Horis Canonicis;

Magiſtri Nicolai Tractatus de Superſtitionibus.

XXXIV.

Theol. 202.

Volumen *latinum chartaceum* in *folio*, continens *Sermones de Sanctis Magiſtri Stekne*, inter quos nonnulli propter Hiſtoriam de Vitis Sanctorum ſunt ſingulares & rari.

XXXV.

Theol. 264.

Volumen *latinum chartaceum* in *folio*, quo continentur hæc:

Themata & diſpoſitiones variorum Sermonum ſacrorum;

Expoſitio ſex graduum Throni Salomonis;

Innocentii Papæ Expoſitio Miſſæ;

Hainrici de Haſſia Tractatus de Miſſa;

Expoſitio decem Præceptorum;

Varii Sermones ſacri, & Tractatus de ſeptem vitiis mortalibus, & aliquibus virtutibus eis oppoſitis;

M. Nicolai Expoſitio libri quarti Sententiarum;

S. Joannis Chryſoſtomi Tractatus de hoc, quod nemo læditur niſi a ſemet ipſo;

Tractatus de formatione hominis, in viginti quinque Capitula diviſus, cujus principium: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*, &c.

Tractatus de arte moriendi.

XXXVI.

Theol. 239.

Antonii Parmenſis, (2) Ordinis Camaldulenſis Prioris Generalis, qui Concilio Conſtantienſi ſub Imp. Sigiſ-

(1) Joan. Trithemius *in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ tradit eum fuiſſe* Argentinenſem, *& claruiſſe Anno Domini 1410.*

(2) *Vide* Joan. Trithem. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

gisinundo interfuit, *Sermones latini de Tempore*, quorum principium: *Cum appropinquasset* &c. *chartacei* in *folio*. In fine legitur, descriptionem eorum absolutum esse An. 1452.

XXXVII.

Theol. 199.

Magistri Matthæi de Cracovia, Prædicatoris Civitatis Pragensis, qui An. 1405. Episcopus Wormatiensis electus est, *Sermones latini de Sanctis per circulum anni*, chartacei in folio. Meminit hujus *Matthæi Joannes Trithemius* non solum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, verum etiam in Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ; sed minime tolerabilis error est, quod ibi legitur, eum *mortuum esse* anno Domini millesimo CCCIX. Revera enim obiit A. 1410. ut testatur (1) antiqua Sepulchri ipsius Inscriptio, quæ in Choro Cathedralis Ecclesiæ Wormatiensis etiamnunc extat his verbis: *Anno Domini MCCCCX. mensis Martii die quinta, obiit Venerabilis Pater, Dominus Matthæus Wormatiensis Episcopus, & SS. Theologiæ Doctor insignis, cujus anima requiescat in pace.*

XXXVIII.

Theol. 125.

Volumen *latinum chartaceum* in *folio* continens magnum aliquod *Opus de Laudibus Beatæ Mariæ Virginis, in duodecim libros divisum*, cujus absque ullo Titulo ullaque Autoris mentione hoc est principium: *Nota prudens Lector & acquiesce obsecro his, quæ tibi dicturus sum ad honorem Dei & Beatissimæ Matris ejus.* *Librum istum* &c. Nec multo post sequitur: *Liber iste, qui intitulatur DE LAVDIBVS BEATÆ MARIÆ distinctus est & partitus in duodecim libros*, &c. Quod autem *Autor* hujus Operis nomen suum de industria celaverit, indicat ipse in fine Prologi secundi his verbis: *Nomen vero meum malui subticere, ne Tractatus forte vilesceret cognito tractatore.* In fine totius Codicis legitur, descriptionem istius Operis absolutam esse anno Domini MCCCCXXXVIII. ante Festum omnium Sanctorum. Attribuitur illud a nonnullis *Alberto Magno*, ut videre est *Tomo vigesimo* Operum ipsius, a *Petro Jammy*, S. Theologiæ Doctore, Ordinis Prædicatorum, Lugduni An. 1651. Tomis XXI. editorum in folio; ab *Hippolyto* autem *Maraccio* Lucensi in Parte secunda *Bibliothecæ Marianæ*, & plerisque aliis, tribuitur *Richardo de S. Laurentio*, natione Gallo, Pœnitentiario Rotomagensi. Meminit hujus controversiæ etiam R. P. *Philippus Labbe* Tomo primo doctissimæ Dissertationis suæ ad Card. *Bellarmini* Librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, ipsumque Opus refert A. 1625. ex antiquis exemplaribus *Duaci primo* editum esse in quarto apud Joannem Bogardum. Quam editionem ego hactenus nunquam vidi: reperi autem in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* aliam multo *antiquiorem* in *folio*, absque nomine ullius Autoris publicatam sub hoc Titulo: *Opus insigne de Laudibus Beatæ Mariæ Virginis, alias*

MA-

(1) *Vide* Georgii Helwichi *Annales Wormatienses, Moguntiæ typ. Joan. Albini An. 1615. editos in 4to.*

MARIALE appellatum. In fine ejuſdem editionis extat de *tempore* & *loco* ejus hæc clauſula: *Finit Liber de Laudibus Beatiſſimæ Mariæ Virginis Matris Dei, impreſſus anno Domini MCCCCXCIII per Martinum Simum, librarium & civem inclytæ Civitatis Argentinæ, facta diligenti collatione præ via ejuſdem Libri ad exemplaria ſcripta.*

XXXIX. XL.

Theol. 165. 262.

Volumina *duo latina chartacea* in *folio*, continentia *Sermones in Evangelia per totum annum*, abſque nominibus Autorum.

XLI.

Theol. 556.

Expoſitio latina Libri Sapientiæ chartacea in *quarto*, abſque nomine Autoris. In fine ejus legitur hæc ſubſcriptio: *Expliciunt dicta pulchra & utilia ſuper Librum Sapientiæ anno Domini MCCCCLXXXII.*

XLII.

Theol. 545.

Volumen *latinum* partim *membranaceum*, partim *chartaceum* in *quarto*, quo continentur hæc: *Quæſtiones variæ de Imaginibus ſacris*, & *Sermones diverſi;*

Tractatus de virtutibus cardinalibus.

Epitome quædam Hiſtoriæ Sacræ in membrana;

Epitome metrica ſingulorum Capitum cujuſque Libri totius Scripturæ Sacræ tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, uno plerumque vocabulo comprehenſorum, cujus principium: (1) *Sex, prohibet, peccant*, &c. in *membrana;*

Expoſitio variorum Vocabulorum totius Scripturæ Sacræ, tam Veteris, quam Novi Teſtamenti.

XLIII.

Theol. 748.

Volumen *latinum membranaceum* in *octavo majori*, continens anonymi cujuſdam Autoris *Sermones de tempore & Sanctis.*

XLIV.

Theol. 936.

Joannis Wicleſi, pernicioſiſſimi Hæreſiarchæ Angli, Opus *de Abominatione in loco ſancto*, *latine chartaceum* in *quarto;* cujus principium: *Audite hæc Sacerdotes & attendite* &c.

XLV. & deinceps uſque LV.

Theol. 501. 495. 533. 619. 541. 535. 518 517. 524. 494. 548.

Volumina *undecim latina chartacea* in *quarto*, quibus continentur *varii Sermones ſacri* Autorum anonymorum & incertorum, de quibus mihi nondum ſatis liquet.

LVI. LVII. LVIII. LIX. LX.

Theol. 768. 769. 762. 784. 803.

Volumina *quinque latina chartacea* in *octavo*, quibus continentur *varii Sermones ſacri* Autorum anonymorum & incertorum, de quibus mihi nondum ſatis liquet.

LXI.

Theol. 21.

Guilielmi Durandi, Juris utriuſque Doctoris celeberrimi, & *Epiſcopi* (2) *Mimatenſis* in *Gallia Aquitanica*, ob *Speculum Juris* tribus Volu-

(1) *Vide ſupra pag. 524.*

(2) Mimatum, *nunc* Mande, *Vrbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopatu* Bituricenſi.

luminibus editum *Speculatoris* vulgo dicti, qui An. 1296. *Romæ* obiit, & in Templo *Dominicano* Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, *ſupra Minervam* cognominato, ſepultus eſt, RATIONALE DIVINORVM OFFICIORVM, (1) juſſu *Glorioſiſſimi Ducis Auſtriæ* ALBERTI III. cognomine *cum Trica*, ex *Latina* lingua in *Germanicam* translatum, ejuſdemque liberaliſſimis ſumptibus in *membrana*, & quidem in *folio*, ut vocant, *regali*, elegantiſſime deſcriptum, & cum multarum Imaginum inauratarum magnifico ornatu feliciter abſolutum An. 1384. quo eodem anno, ut (2) ſupra prolixe memoravi, *Sacra Facultas Theologica* cura & auſpicio *ejuſdem glorioſiſſimi Principis* per Summi Pontificis *Vrbani VI. Privilegium* in *Almam Academiam Vindobonenſem* primum introducta eſt. Præfixa eſt huic Verſioni Germanicæ *Præfatio dedicatoria* ad jam memoratum *Ducem Albertum*, cujus exordium continet explicationem ſententiæ ſapientiſſimi Regis *Salomonis:* (3) *We dem lande, des Chunig ein Chind iſt, und des Fürſten frue ezzent;* hoc eſt: *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt.* Subjungitur deinde *Ducis Alberti laudatio* a contrario; nempe quod is nec in *divinarum*, nec in *humanarum* rerum ſcientiis voluerit eſſe *puer*, ideoque non ſolum deſideraverit, ut *Rationale divinorum Officiorum* verteretur *germanice*, verum etiam *Almam Academiam Vindobonenſem* curaverit per Summi Pontificis *Vrbani VI. Privilegium* augeri acceſſione *Sacræ Facultatis Theologicæ*, qua inde a prima (4) fundatione ſua, hoc eſt, ab anno 1365. uſque ad an. 1384. caruerat. Ipſa Præfationis verba, cum propter notitiam incrementi jam memoratæ Inclytæ *Academiæ*, tum ob inſigne encomium *Sacri Studii Theologici*, lectu & conſervatu digniſſima, ſunt hæc:

Von dem obgeſcriben worte, EDLER FURSTE, habt ir Ewch auzgenommen, darumb daz Ir nicht wellet ſein der ſinn ein chind, ſunder ir bewarent Ewren ſin mit liebe der HEILIGEN SCHRIFTE und ander ſitigen lere; wan ich wen Ir habt geboret, und auch aufgenomen daz wort der weishait, do ſi ſprichet: Ich minne die, die mich minnen, und die fru zu mir wachent, die vindent mich. Auch volget Ir Hern Davides lere, do er ſprichet: Vnd ir Chunige, ir ſöllent nu vorſten, ir ſöllent geleret werden, die di erde richtent; ir ſöllent die lere begreiffen, daz icht der Herre werde zürnen, und daz ir nicht verderbent von dem rechten wege. Mich dunkchet auch, Ir ſprechent mit Salomone: Gib mir Herre deiner ſtule beiſtenderinn di Weishait, daz ich alzeit wizze, waz fur dir genem ſei. Dem tuet Ir wol geleiche, darumb daz Ir Ewch habt furgenomen, wie daz Ir alle dinch vorſtent, di man handele in der Chriſtenhait nach des Hei-

(1) *Conſtat illud* Libris octo; *quorum ultimus, ut ex Capite ejus nono apparet, abſolutus eſt A. 1286.*

(2) *Vide Analect. Tom. I. pag. 43. &c.*

(3) Eccleſiaſtæ *Cap. 10. verſ. 16. Valde autem abſurdum eſt, quod hoc dictum in illo Codice MSto perperam attribuitur* Ariſtoteli.

(4) *Per Glorioſiſſimum Ducem Auſtriæ* Rudolphum IV. *Vide Analect. T. I. pag. 58.*

Heiligen Geiſtes lere, und habt darumb begeret, daz vor nicht geboret iſt, daz man ewze deutſche mache DAZ RATIONAL, darin ſi all begriffen ſeint nach der lautterung der Schrifte, daz ir auch erleuchtet werdent, alz der Prophet geſprochen hat; Deiner rede lautterung erleuchtet, und gibt ſinn den, die diemuettig ſeint. Darumb alz wie geſchriben iſt, und auch umb ander ſache habt Ir ewch angenomen, daz Ir wellent HEILIGE SCHVLEN halten, dartzu ewch Got geſchikchet hat DEN (1) ERSTEN EWRS HAVSES ane tzweifel mit genaden. Wann Ir werdent im einn (2) TEMPEL pawen, der mit handen nicht gemachet wird: wann DISCHVEL DER HEILIGEN SCHRIFTE DER TEMPEL iſt, da GOT ſelber inne want, alz die Weishait hat geſprochen: Mein Wolluſte ſeint zeweſen pei der leutte chinden. Derſelbe TEMPEL pezzer iſt an alle mazze, dann den Salomon nach Gottes chur gepawen hat. Darum Ewch Got genade geit in diſer zeit, und auch himeliſchen lon, do di gelerten werdent ſcheinen als der ſchein des Firmamentz, und die gerechtichait lerent, als die ſternen in di ewichait ewigen. Auch verſten ich in dem ſelben Ewr Wirdichait und ewr leutt und landes nutz und ere. Wann wellent Ir gelobet ſein in diſer Werlte als EWR CHLARHAIT zugeboret, daz muzzent Ir beſteten mit der ſchriffte grunt: wann alles, daz di Werlt hie grozzes treibet, wirt altzemal vergezzen, ez werde denn mit ſchrift gemerkchet. Wer weren di Sun von Iſrahel und aller Judiſcher Adel, het Moyſes und Eſdras nicht geſchriben? Wer wer geweſen Alexander und Chunig Philip ſein vater, wer nicht geweſen Ariſtoteles? Waz mocht Athene haben getan, hetten Socrates und Plato nicht geleret? Wo wer ytz Troia, und wer nicht Virgilius? Waz weren Romer, hetten nicht geſchriben Titus Livius und Lucanus? Waz tet Frankchenreich von alter her, wer (3) DI SCHVL ZE PARIS nicht geſtanden? Alle dinch vergezzleich und zergenchleich ſeint, ſi werden dan mit ſchrift gehaft und auch geveſtet. &c.

Paulo poſt ſequitur ibidem de antiqua Inclytæ *Academiæ Vindobonenſis*, per totum terrarum Orbem diffuſa *utilitate & celebritate* inſigne teſtimonium his verbis:

Ez iſt Ewrr Ritterſchefte und ander Ewrr leutte nutz und ere: wann war ſi in die Werlt komen, ſo werdent ſi geeret und gefuederet von den Herren und gewaltigen Leutten, di ire chinder und frewnde In EWR SCHVLE habent, und damit werdet Ir auch weitr gelobet.

Tranſit deinde Præfationis iſtius Germanicæ Autor ad *primam ſcribendi originem*, inde ab ipſo *Deo*, primitivi Juris ſcripti Autore, derivatam, & variam ejus ad diverſos populos propagationem: qua expoſita

(1) *Vide ſupra pag. 65. & 66.*

(2) *Locus inſignis & notabilis, ubi* Schola Theologica *vocatur* TEMPLVM Dei ἀχειροποίητον *ſive* NON MANV FACTVM.

(3) *Locus notabilis de antiquitate & dignitate* Almæ Academiæ Pariſinæ. *Vide ſupra pag. 307. & deinceps uſque ad pag. 339.*

sita subjungit porro *de Germanica sua Rationalis Divinorum Officiorum versione*, & de ipsius *Linguæ Germanicæ* suo adhuc ævo (1) *barbarie* singularem aliquam præmonitionem his verbis:

Also wil ich Ewch bedeutschen tzway tail des obgenanten Rationals zu ere der Heiligen vngeschaiden Drivaltichait, und zu gehorsam Ewrs (2) *gewotes, mit hilfe des alaine, des Geist erfullet alle dinkch; der bei Balams zeiten ein eselinn gesphrechig machte; in des chraft die staine rueffent, und in des wort die perige friden chundent; der alle dinch hat wolgetan, der di tauben machet horen und die stummen reden; der seinen lob mit chindes stim hat volpracht; der chranche dinch hat auzerwelt, daz sich di schamen wurden, di sich dunkchent fur im grozz. Ich wil auch mein teutsch nicht reimen, und wil es doch befliezzen, so ich peste mag, mit der chunste flozzen, die da haizzet Rethorica, umb daz ich bei der schrifte worte beleibe, und dieselbe mazze behalte, di in Latein geschriben ist, daz si deste minner verdriezze, di furbaz werdent lesen daz Teutsche Rational. Darumb sol mich EWRD LAVTTERCHAIT genedich versten, ob ich etwenn an dem ersten setze aint wort oder ainen sinn der in gemainen Teutsche an daz leste gehoret, oder an daz leste, daz zevor gehoret: wann daz tun ich nach der ordnung der schrifte: di in Latein mit rechter mazze geschriben ist. Darnach pitt ich EWR GNAD und aller ander leutte gedult für di mein teutsch wirt komen, daz si mir nicht vor ubel haben, ob ich etleiche dinch in disem pueche nicht aygenleich genennet han, als si in disem lannde gewonleich werden genant. Wann do di (3) Romer wolten machen eine sprache, di von iren vvegen in aller Werlt gemaine vver, do setzten si in ordenung di Lateinische schrift domit si allen lannden mochten gepieten und ander anesprecher. Zeit daz nu Lateinische zunge in alle lannt getailet wart, und diselbe lannde beten manigerlay spreche, so muz von notdurft vvesen sein, daz wir Latein beteutschen mit manniger flachte worten, und ist chaine zung so reiche, daz si wider mogen widerwegen aygenleichen von ir selber den sinn und auch di mazze, di in Latein geschribn seint. TEVTSCHE ZVNGE ist auch von alter her di MINNISTE, und gegen Latein WILDISTE, di vvir vvizzen; davon haizzet si (4) BARBARA, daz ist WILDE, und darumb muzzen vvir ofte vvort für vvorte nennen, so vvir Latein bedeutschen vvellen.*

Sequitur hinc *ultima* ejusdem *Præfationis pars*, quæ continet dissertationem de *tribus* illis *Linguis*, quibus in Ecclesia Catholica *Sacrificium Missæ* celebrari permissum est; nempe *Latina*, *Græca* & *Slavonica*, quæ ibi vocatur (5) *Windica*, & partim qui-

(1) *Vide supra pag. 663.*

(2) Gewotes *pro* Gebotes.

(3) *Notabilis locus de Romanorum veterum prudentia in propaganda* Lingua Latina *per totum terrarum Orbem una cum* Imperio.

(4) *Vide supra pag. 663.*

(5) *Quasi* Vinidica *sive* Venedica, *a* Vinidis *sive* Venedis, *vulgo* Wenden *vel* Winden, *qui iidem sunt atque* Slavi. *Qua de re vide* Philippi Cluver. *German. Antiqua lib. 3. cap. 46. p. 697. ubi disserit de differentia inter* Vindilos *sive* Vandalos & Vinidos *sive* Venedos.



pag. 589. et 590.

VRBANVS VI PONTIFEX MAXIMVS



ALBERTVS III cognomine CVM TRICA Dux Austriæ Stiriæ Carinthiæ etc.



GVILIELMVS DVRANDVS Juris utriusq. Doctor et Episcopus Mimatensis in Gallia Aquitanica, vulgo dictus SPECVLATOR



quidem propter *amplitudinem*, partim autem propter *Judæorum incredulitatem* in *Hebraicæ Linguæ* locum substituta esse traditur his verbis: *Zu dem dritten mal, die MESSE vvirt begangen* (1) *IN WINDISCHER SPRACHE durch sache der braittunge und gemainhait; vvan chain ainige sprach an ir selber ist so vveit getailet, als di man WINDISCHE nennet. Darumb ist si auch genumen an der EBRAISCHEN SPRACHE stat. Wann do di Juden Gotes wort versmachten, und sich dem unvvirdig machten, do vvart ez den haiden haim gesendet, als in der Apostoln puch geschribn stet, und also vvurden si darnach auch gephendet, daz der heiligen Messe Ampt irer sprachen entfromdet wurde, und vvurde der sprach verliehen, die der haiden ein* (2) *michel tail begriffen hat: daz also in disen zungen vvürd erchennet und verjehen, daz Christus unser Herre ist in der ere Gots des Vaters.*

Finita hoc modo *tota* illa *Translationis Præfatione*, sequitur tandem hæc subscriptio:

Hie endet sich die erste Fürred in daz Teutsche Rational, geschribn dem Hochgepornen Fürsten, HERTZOGEN ALBRECHT DEM DRITTEN ZE OSTERREICH, &c. anno Domini millesimo tricentesimo LXXXIII. feria quarta post Dominicam palmarum.

Incipit deinde ipsius *Guilielmi Durandi Præfatio: Quæcunque in Ecclesiasticis Officiis, rebus aut ornamentis consistunt, divinis plena sunt signis atque mysteriis*, &c. *in Germanicam Linguam* translata, hoc modo:

Hie vahet an die Furred in daz Rational, daz ist, die Auslegunge und sache der Gotleichen Ampte. Weliche stukche gesetzet seint in den Christenleichen Ampten, dingen und zierungen, die seint vol mit Götleichen zeichen und heilichait, &c.

Quod superest, cum supra indicaverim, *Germanicum* hoc *Rationale Divinorum Officiorum* multis *figuris inauratis* magnifice exornatum esse, lubet mihi ex toto earum numero tantum *tres* speciminis loco hic inserere. Harum *prima* (*), quæ extat in principio Libri *tertii*, refert Summum Pontificem *Vrbanum VI.* per cujus privilegium (3) *Academia Vindobonensis* A. 1384. *Sacra Facultate Theologica* aucta est. *Secunda* autem figura (**), quæ itidem extat in principio Libri *tertii*, exhibet *Glorioſissimum Ducem Austriæ Albertum III.* cognomine cum *Trica*, cataphractum, sive a capite usque ad pedes circumquaque armatum, equo insidentem, & manu quidem dextra tenentem gladium evaginatum, cujus capulum catenula quadam dextræ pectoris ejus parti alligatum est; sinistra autem tenentem scutum *Augustissimæ Domus Austriacæ Insignibus gentilitiis* decoratum, quemadmodum etiam non solum ipsa lorica *colore rubro* & *cingulo*

(1) *Huc pertinet* Missale Romanum, *Summi Pontificis* Vrbani VIII. *jussu non solum* idiomate Slavonico, *verum etiam* literis Slavonicis *editum Romæ typis Sac. Congreg. de Propag. Fide An. 1631. in 4to.*

(2) Michel *significat antiqua lingua Germanica* magnum, *vel* multum, *vel* valde.

(3) *Vide supra pag. 53. & 59.*

gulo militari albo insignita est, verum etiam per *alborem* equi & velamen ejus *rubrum* ad eadem *Insignia gentilitia* alluditur. In cono galeæ cernitur *Corona cum oculata cauda pavonis;* & circum totam imaginem hæc legitur inscriptio: ALBERTVS DEI GRATIA DVX AVSTRIÆ, STIRIÆ, KARINTLÆ, ETC. *Tertia* demum figura (***), quæ extat in principio *Præfationis secundæ*, repræsentat *Guilielmum Durandum* in solenni habitu Episcopali, pulpitum ante se habentem cum libro, & dextra manu tenentem calamum, quasi *Rationalis Divinorum Officiorum* compositioni meditabundus insisteret.

LXII. LXIII.

Theol. 8. Hist. Eccl. 1.

Volumina *duo latina membranacea* in *folio*, ut vocant, *regali*, Imp. *Friderici V.* auspicio & liberalitate A. 1447. conscripta, & magna *Figurarum inauratarum* multitudine, alioque vere Cæsareo ornatu insignita: quorum *primum* continet *solennes Celebrationes sacras* seu, ut vulgo appellantur, *Officia præcipuorum Festorum totius anni*, una cum speciali quadam *Descriptione peccatorum*, & *Modo ea confitendi*; *alterum* autem complectitur *Jacobi de Voragine*, seu potius (1) *Viragine*, ex Ordine Prædicatorum *Episcopi Genuensis*, qui circa annum Christi 1275. sub Imp. *Rudolpho I.* potissimum claruit, *Historia de Vitis Sanctorum*, quæ vulgo vel *Historia Lombardica* sive *Longobardica*, vel *Aurea Legenda Sanctorum*, vel *Passionale Sanctorum* nuncupatur. Titulus ejus in hoc Codice MSto *Ambrasiano* est talis: INCIPIT NOVA LEGENDA DE SANCTIS, Principium autem ejusdem est hoc: *Universum tempus præsentis vitæ in quatuor distinguitur, scilicet in tempus Deviationis, Renovationis sive* (2) *Revocationis, Reconciliationis*, & *Peregrinationis. Tempus Deviationis fuit ab Adam* &c. Utrumque duorum jam memoratorum Voluminum signatum est *Nomine*, *Symbolo* & *Insignibus Imp. Friderici V.* quemadmodum e regione hujus paginæ in apographo æri inciso videre est. (****).

LXIV. LXV. LXVI.

Theol. 10. 7. 1.

Volumina *tria latina membranacea* in *folio*, ut vocant, *regali*, quibus continentur *Septem Psalmi Pœnitentiales*, *Litaniæ* & aliæ variæ *Preces sacræ.* Vnicuique Voluminis præfixum est *Calendarium;* quo finito, incipiunt ipsæ preces his verbis: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*, &c. In principio *primi* Voluminis cernitur propria ipsius *Imp. Friderici V.* manu, & quidem aureis literis scriptum: A. E. I. O. V. 1482. *Nos Fridericus prælibata conscripta recognoscimus, profitemur & approbamus.* Similiter etiam in principio *secundi* Voluminis extat ingentibus literis pictum idem (3) supra memoratum *Symbolum* A. E. I. O. V.: nec dubito, quin *tertium* quoque Volumen

(1) *Vide* Ger. Joan. Voss. *de Histor. Lat. lib. 2. cap. 60. In* Ant. Possevini *Apparatu Sacro minus recte legitur* de Varagine.

(2) *In nonnullis editionibus impressis, omissa voce* ad Revocationis, *mutile legitur* Renovationis *sive* Reconciliationis.

(3) *Veram & genuinam hujus* Symboli *interpretationem vide supra pag. 537.*





ad eundem *Imp. Fridericum V.* pertinuerit.

LXVII. LXVIII. LXIX. LXX.

Theol. 22. 33. 38. 123.

Volumina *quatuor latina membranacea* in *folio*, quibus continentur totidem exemplaria *Miſſalis Romani*, cujus principium: *Ad te levavi animam meam*, *Deus meus*; *in te confido*, &c.

LXXI.

Theol. 146.

Volumen *latinum membranaceum* in *folio* ſcriptum An. 1494. quod continet *Officiorum* quorundam *Eccleſiaſticorum* ſolennes Formulas.

LXXII.

Theol. 74.

Volumen *latinum membranaceum* in *folio*, mira elegantia ſcriptum, quod continet *Miſſam Pontificalem*, ſive *Ritum celebrandæ Miſſæ per Epiſcopos*. In principio hujus Voluminis extat effigies Eminentiſſimi Cardinalis *Franciſci a Dietrichſtain*, non penicillo, ſed tantum calamo artificioſiſſime depicta. Ipſi autem compacturæ extrinſecus impreſſa ſunt ejuſdem Cardinalis *Inſignia gentilitia* cum hac ſubſcriptione: FRANCISCVS CARDINALIS AD DIETRICHSTAIN, EPISCOPVS OLLOMVCENSIS, PRINCEPS ETC. MDCVII.

LXXIII.

Theol. 412.

Volumen *latinum membranaceum* in *quarto majori*, ante annos circiter *ſeptingentos*, ut ex ſcriptura aliiſque circumſtantiis liquet, exaratum, ſed maxima ſui parte mutilum, quo continentur *Hymni Eccleſiaſtici* varii, cum adjunctis æque antiquis *Notis Muſicis* in margine. Quinam autem, & quales illi *Hymni* ſint, ex ſubjuncto eorum ſpecimine videre eſt.

DIES SANCTIFICATVS.

Natus ante ſecula Dei Filius inviſibilis in terminis,

Per quem fit machina Cœli ac Terræ &c.

IN NATALE SCI STEPHANI PROTO MARTYRIS HYPODIACONISSA.

Hanc concordi famulatu colamus ſolemnitatem,

Auctoris illius exemplo docti benigno,

Pro perſecutorum &c.

IN NAT. SCI. IOHANN EUANGELISTÆ. ROMANA.

Johannes, IHU XPO multum dilecte Virgo;

Tu ejus amore &c.

IN NATALE INNOCENTVM.

Laus tibi, XPE, Patris optimi Nate, Deus Omnipotentiæ

Quem cœlitus jubilat, &c.

IN CIRCVMCISIONE DNI.

Eia recolamus laudibus piis digna

Hujus diei carmina &c.

IN THEOPHANIA DNI.

Feſta XPI omnis XPIanitas celebret,

Quæ miris ſunt modis ornata &c.

IN PVRIFICATIONE S. MARIAE.

Concentu parili hic te, Maria, veneratur

Populus, teque piis colit cordibus

Generoſi Abraham tu filia veneranda, &c.

IN SCO DIE PASCHAE FRIGDOLA.

Laudes Salvatori voce modulemus supplici
Et devotis melodiis &c.

ITEM IN SCA PASCHALI FESTIVITATE.

Pangamus Creatoris atque Redemptoris gloriam,
Qui bene creatos, sed seductos, &c.

FERIA III.

XPE DNE lætifica Sponsam tuam Ecclesiam
In his festis, quibus &c.

FERIA IIII.

Agni Paschalis esu potuque digno
Moribus sinceris præbeant omnes
se Christianæ animæ:
Pro quibus &c.

IN OCTAVA PASC.

Hæc est sancta Solennitas Solennitatum, &c.

Hic desunt aliquot folia; post quæ sequuntur hæc:

Ut introire valeamus Aulam, quæ non recipit ullam maculam.
Tu, qui Dei caritatem retinens,
Immortalis perduraſti Michael,
Post mortem requiem nobis deprecare.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

Psallat Ecclesia, Mater illibata, &c.

DE OMNIBVS SANCTIS.

Omnes sancti Seraphim, Cherubim, &c.

IN N SCI MARTINI EPISCOPI.

Sacerdotum XPI Martinum cuncta per Orbem canat Ecclesia pacis Catholicæ,
Atque illius nomen omnis hæreticus fugiat pallidus.
Pannonia lætetur, genitrix talis filii.
Italia exultet, alitrix tanti juvenis;
Et Galliæ trina divisio sacro certet litigio, cujus esse debeat Præsul.
Sed pariter habere se Patrem omnes gaudent: Turoni soli ejus corpus foveant: &c.

DE SCO OTMARO.

Laude dignum Sanctum canit Otmarum Suevia mater
Talis nati profectu gratulans semper.
Hic velut sidus eximium &c.

DE SCO COLVMBANO.

A Solis occasu usque ad exortum est cunctis nomen tuum, Deus laudabile,
Qui inde novum Solem metiris mira lege,
Qui lustret Orbem radiis,
Et fotu terras vegetet.
Hic Columbanus nomine, columbinæ vitæ fuit
Dignus habere Spiritus Sancti pignus &c.

DE SCO ANDREA APOSTOLO.

AUREA.

Deus, in tua virtute sanctus Andreas gaudet, & lætetur eadem comitatus: &c.

DE

DE APOSTOLIS. AUREA.

Clare ſanctorum Senatus Apoſtolorum Princeps, Orbis terrarum Rectorque Regnorum,

Eccleſiarum mores & vitam moderans,

Quæ per doctrinam ſuam fideles ſunt ubique.

Antiochus & Remus concedunt tibi, Petre, Regni ſolium.

Tyrannidem tu, Paule, Alexandrinam &c.

DE SANCTIS MARTYRIBVS.

VOX EXVLTATIONIS.

Agone triumphali militum Regis ſummi.

Dies iſte celebris eſt populis, &c.

DE SCA ET INDIVIDVA TRINITATE.

Benedicta ſemper Sancta ſit Trinitas &c.

IN SEPTVAGESIMA.

Cantemus cuncti melodum nunc Alleluja, &c.

DE SCA MARIA MAGDALENA.

Laus tibi, XPE, qui es Creator, Redemptor idem & Salvator, &c.

LXXIV.

Theol. 411.

Volumen *latinum membranaceum* in *quarto*, continens *Calendarium Eccleſiaſticum*, *Septem Pſalmos Pœnitentiales*, *Hymnos*, *Litanias*, & alias varias *Preces ſacras.*

LXXV.

Theol. 422.

Breviarium latinum membranaceum in *quarto*, ætatem per ſe ferens, ducentorum circiter vel trecentorum annorum.

LXXVI.

Theol. 462.

Volumen *latinum membranaceum* in *quarto*, variorum Sanctorum Imaginibus exornatum, quo continentur *Septem Pſalmi Pœnitentiales*, *Litaniæ* & aliæ *Preces ſacræ.*

LXXVII.

Theol. 683.

Officium Beatæ Mariæ Virginis membranaceum elegantiſſimum in *octavo majori*, cum *figuris*, *latine*,

LXXVIII.

Theol. 858.

Officium Beatæ Mariæ Virginis membranaceum in duodecimo, *latine.*

LXXIX.

Theol. - -

Pſalterium Beatæ Mariæ Virginis de ſacris Pſalmis ſumptum, *chartaceum in octavo*, *latine.*

LXXX.

Theol. 69.

Volumen *membranaceum* in *folio*, continens *Septem Pſalmos Pœnitentiales*, *Hiſtoriam Paſſionis Chriſti*, & varias *Preces ſacras germanice.* Pertinuit olim hic Codex ad Imp. *Fridericum V.* quemadmodum ex *Symbolo* Ipſius A. E. I. O. V., in fine ſcripto, videre eſt.

LXXXI.

Theol. 368.

Fragmentum *Breviarii Germanici membranacei in quarto.*

LXXXII.

Theol. 341.

S. Joannis Chryſoſtomi (1) *Libri ſex* περὶ Ἱερωσύνης ſive *de Sacerdotio*, e *Græco* ſermone in *Latinum* translati, *membranacei* in *folio minori* ſeu *in quarto majori.* Principium Libri *primi* hujus verſionis latinæ una cum *Titulo* ſuo hoc eſt: *Incipit Liber primus Dialogi S. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi & S. Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi, collegæ B. Gregorii Nazianzeni, qui intitulatur De Dignitate Sacerdotali. Mihi quidem multi fuerunt amici certi, & amicitiæ jura ſcientes ſolideque ſervantes, unus autem ex his &c.* Meminit hujus Operis *Sigebertus Gemblacenſis* in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 36. his verbis: *Joannes ſub ſua & ſui amici Baſilii perſona ſcripſit Dialogum de honore & onere Sacerdotii, & quanta ſit dignitas & poteſtas vel gravitas Sacerdotum.* Hæc *Sigebertus.* Pertinuit olim hic Codex MStus ad *Bibliothecam Budenſem* Regis Hungariæ *Matthiæ Corvini*, ut apparet ex Inſignibus ejus gentilitiis, prima pagina depictis, in quorum medio cernitur *corvus niger, roſtro tenens annulum aureum.* Diſſipata (2) autem jam memorata *Bibliotheca*, emptus eſt idem ille Codex a *Joanne Fabro*, Epiſcopo *Vindobonenſi* ſive *Wiennenſi*, ut ex ſequenti atteſtationis formula, quæ in principio & fine ejus etiam nunc extat, videre eſt: (3) *Emptus eſt iſte Liber per Nos Doctorem Joannem Fabrum, Epiſcopum Viennenſem, & Coadjutorem Novæ Civitatis, Glorioſiſſimi & Clementiſſimi Romanorum, Hungariæ Bohemiæque &c. Regis ac Archiducis Auſtriæ Ferdinandi pientiſſimi a Conſiliis & a Confeſſionibus: & quidem non ea pecunia, quæ ex proventibus & cenſibus Epiſcopatus provenit, ſed ea, quam ex honeſtiſſimis noſtris laboribus aliunde accepimus. Proinde liberum eſt nobis donare & legare, cui voluerimus. Donamus igitur Collegio noſtro apud S. Nicolaum, ordinamuſque, ut ibi in perpetuum Studentibus uſui ſit juxta ſtatuta & præſcripta noſtra. Actum Viennæ in Epiſcopali Curia, prima die Septembris, anno Salutis MDXXXX.*

(1) *Vide Tomum* quartum *Operum* S. Joannis Chryſoſtomi, *a R. P.* Frontone Ducæo *græce & latine editorum Pariſiis apud Sebaſt. Cramoiſy & Antonium Stephanum An. 1621. in folio, in principio.*

(2) *Vide Librum* primum *horum Commentariorum pag. 69.*

(3) *Eadem* Inſcriptio *paſſim legitur in multis aliis præſtantiſſimis Codicibus MStis, qui poſt Epiſcopi* Joannis Fabri *obitum in* Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem *translati ſunt. Qua de re vid. Lib. 1. horum Comment. pag. 69.*

LXXXIII.

Theol. 92.

Lactantii Firmiani, qui propter felicem Eloquentiæ Tullianæ imitationem *Cicero Chriſtianus* a nonnullis ſolet appellari, &, ut *S. Hieronymus* capite 80. Libri de Scriptor. Eccleſiaſticis refert, *in extrema ſenectute Magiſter fuit Cæſaris Criſpi, filii Imp. Conſtantini Magni, Opera* eleganter exarata in *membrana* in *folio;* nempe

Divinarum Inſtitutionum adverſus Gentiles libri ſeptem, quorum prin-

principium: *Magno & excelenti ingenio Viri, cum se doctrinæ* &c.

De Ira Dei liber ad Donatum, cujus principium: *Animadverti sæpe, Donate, plurimos existimare* &c.

De Opificio Dei vel Formatione hominis liber ad Demetrianum, cujus principium: *Quam minime sim quietus, etiam in summis necessitatibus*, &c.

Carmen de Phœnice exercitationis poëticæ causa (1) a *Lactantio* adhuc *juvene* & *ethnico* compositum, cujus principium:

Est locus in primo felix Oriente remotus,
Qua patet æterni MAXIMA PORTA poli;
Nec TANTVM æstivos hyemisque propinquus ad ortus,
IN QVO Sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities &c.

Ubi obiter etiam notandæ sunt *variantes Lectiones.* Nam in editione *Operum Lactantii*, cum *Xysti Betuleji Augustani* pereruditis Commentariis Basileæ typis Henrici Petri An. 1563. publicata in folio, & in editione *Michaelis Thomasii* Antverpiæ typis Christoph. Plantini A. 1587. in 8vo impressa, pro *maxima porta* legitur *janua celsa;* pro *Nec tantum* legitur *Nec tamen;* pro *In quo Sol verno* legitur *Sed qua Sol verno.* Similiter etiam in sequentibus versibus multæ aliæ occurrunt *Lectiones discrepantes*, quas itidem hic obiter exhibeo. Versu decimo legitur, *Lucus perpetuæ frondis honore VIRENS;* non autem, ut vulgo, *Lucus perpetuæ frondis honore VIRET.* Versu 18. legitur *Aut METVS aut ardens CEDIT amore furor;* non autem ut vulgo, *Aut MARS aut ardens CÆDIS amore furor.* Versu 26. legitur, *Perspicuus, LVCENS, dulcibus uber aquis*, non autem ut vulgo, *Perspicuus, LENIS, dulcibus uber aquis.* Versu 32. legitur, *Vnica SIC vivit, morte refecta sua;* non autem ut vulgo, *Vnica, SED vivit morte refecta sua.* Versu 33. legitur, *Paret & obsequitur PHOEBI memoranda satelles;* non autem ut vulgo, *PHOEBO memoranda satelles.* Versu 41. legitur, *Et CONVERSA novos Phœbi nascentis ad ortus;* non autem ut in editione Betulejana, *Et CONCVRSA novos.* Versu 43. legitur, *AST ubi Sol;* non autem ut vulgo *ATQVI* vel *ATQVE ubi Sol.* Versu 44. legitur, *Et PRIMVM emicuit luminis aura levis;* non autem ut vulgo, *Et PRIMI emicuit.* Versu 52. legitur, *Atque Orbem totum PERTVLIT usque means;* non autem ut vulgo, *PROTVLIT usque means;* Versu 61. legitur, *Vt reparet LAPSVM, spatiis urgentibus ævum;* non autem ut vulgo, *Vt reparet LASSVM.* Versu 96. legitur, *Æstuat & flammas PROTVLIT ipse calor;* non autem ut vulgo, *PARTVRIT ipse calor.* Versu 100. legitur, *Conflat, & EFFECTVM seminis instar habet;* non autem ut in editione Betulejana, *AFFECTVM.* Versu 103. legitur, *CREVERIT*

(1) *Hæc est Virorum doctorum* Xysti Betuleji & Auberti Miræi *opinio, eademque etiam mihi videtur probabilis.*

immenſum ſubito; non autem ut vulgo, *CREVIT IN immenſum.* Verſu 116. legitur, *Evolat, ad PATRIAS jam reditura domos;* non autem ut vulgo, *Evolat ad PRIMAS jam reditura domos.* Verſu 122. legitur, *inque ara reſidens, PROMIT in Æde ſacra;* non autem ut vulgo, *PONIT in Æde ſacra.* Verſu 123. legitur, *Mirandum ſeſe præſtat, præbetque VEHENTI;* non autem ut vulgo, *præbetque VIDENTI.* Verſu 129. legitur, *Hoc humeri, pectuſque decens VELAMINE fulgent;* non autem ut in Betulejana editione, *VOLAMINE fulgent.* Verſu 153. legitur, *INSCVLPVNT,* non autem ut vulgo, *INSCALPVNT.* Verſu 161. legitur, *Hæc fortunatæ ſortis NATISque volucris;* non autem ut vulgo, *FATIque volucris:* unde opinor, revera legendum eſſe, *Hæc fortunatæ ſortis RARÆque volucris;* ita nempe, ut vox *RARÆ* ad proxime præcedentem vocem *SORTIS* pertineat. Verſu 163. & 164. legitur, *Fœmina ſit, vel MASCVLVS hæc, SEV FORTEQVE neutrum; Felix, QVÆ Veneris fœdera nulla colit;* non autem ut vulgo, *Fœmina vel MAS hæc, VEL neutrum ſit MAGE FELIX; Felix, quæ, (vel, ut in* editione Betulejana legitur, *QVA) Veneris fœdera nulla colit.* Verſu 169. legitur, *quia EST ipſa, nec ipſa eſt,* non autem ut vulgo, *quia ET ipſa nec ipſa eſt.*

(1) *Hæc eſt opinio ſupra laudati* Xyſti Betuleji. Michael *autem* Thomaſius *in ſua Operum* Lactantii *editione, omiſſo primo diſticho, attribuit hoc carmen* Venantio Fortunato *ſub hoc titulo*: Venantii Honorii Clementiani Fortunati Presbyteri Italici ad Felicem Epiſcopum de Paſcha. Tempora florigero &c.

Finito hoc *Carmine de Phœnice,* ſequuntur in eodem Codice MSto *duodecim verſus hexametri* ex *Ovidii* libro decimo quinto Metamorphoſeon, quibus de eadem ave agitur. Eorum principium hoc eſt:

Hæc tamen ex aliis GENERIS primordia ducunt.

Vna eſt &c.

Ubi obiter etiam notandæ ſunt *variantes Lectiones.* Legitur enim hic, *GENERIS primordia ducunt;* non autem ut in *Operum Ovidii* recentiſſima editione, a *Cornelio Schrevelio* cum ſelectis Variorum Notis Lugduni Batavorum An. 1661. in 8tvo publicata, *ducunt primordia REBVS.* Verſu tertio legitur ibidem *NON fruge, nec herbis;* non autem ut vulgo, *NEC fruge, nec herbis.* Verſu ſeptimo legitur, *Vnguibus AC PVRO nidum ſibi conſtruit ore;* non autem ut vulgo, *Vnguibus ET PANDO nidum ſibi conſtruit ore.* Verſu undecimo & duodecimo legitur, *Inde ferunt, totidem QVÆ vivere debeat annos, Corpore de PRIMO VOLVCREM Phœnica renaſci;* non autem ut vulgo, *Inde ferunt, totidem QVI vivere debeat annos, Corpore de PATRIO PARVVM Phœnica renaſci.*

Duodecim hos *Ovidii* verſus ſequitur in eodem Codice MSto *Carmen de Die Feſto Reſurrectionis Dominicæ, a* (1) *Lactantio* jam *Chriſtiano & ſene* compoſitum, in honorem *Chriſti,* tanquam veri *Phœnicis,* ex mor-

mortuis primogeniti. Hujus principium est:

Salve festa Dies, toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.
Tempora florigero &c.

LXXXIV.

Theol. 224.

Epistolarum S. Hieronymi Volumen *latinum chartaceum* in *folio*, quibus etiam *S. Damasi Papæ*, *S. Augustini*, & nonnullorum aliorum Epistolæ ad *S. Hieronymum* permixtæ sunt.

LXXXV.

Theol. 162.

Volumen *latinum Chartaceum* in *folio*, scriptum An. 1439. & divisum in *duas* Partes; quarum *prima* continentur *S. Ambrosii* Episcopi Mediolanensis *Libri novem*, quorum (1) primus (2) inscribitur *De Abrahamo Patriarcha;* secundus (3) *De Isaaco & Anima;* tertius *De Bono Mortis;* quartus *De Fuga Seculi;* quintus & sextus, (4) *De Jacobo & vita beata;* septimus (5) *de Josepho Patriarcha;* octavus (6) *De Benedictionibus Patriarcharum;* (7) nonus *De Nabuthe Israhelita.*

Secunda ejusdem Voluminis Parte continetur *BONIZONIS*, *Episcopi* primum quidem *Sutrini*, postea autem *Placentini*, qui A. C. 1089. ob defensionem *S. Sedis Apostolicæ* & *Libertatis Ecclesiasticæ* a *Placentinis* schismaticis, effossis oculis & omnibus fere membris detruncatis, A crudelissime occisus est, *hactenus inedita Epitome omnium Operum & Sententiarum S. Augustini*, PARADISVS AVGVSTINIANVS inscripta, & in *Libros octo* divisa, cujus *Epistola dedicatoria* incipit hoc modo:

BONIZON in familia Dei minimus IOHANNI Reverendissimo Abbati salutem:

Dominica voce reus arguitur, qui talentum sibi creditum maluit humo tegere, quam nummulariis ad mensam commodare. Cujus admissi culpam solicite vitare desiderans, deliberavi, Dei *juvante gratia, quamdiu spiritus vitales meos vegetaverit artus, quicquid auditu cordis & corporis percipere, quicquid intellectu discernere, quicquid palato cordis potero ruminare, fratribus indigentibus libenter communicare. Suscipe igitur, Pater venerande, EXCERPTVM SENTENTIARVM MIRIFICI DOCTORIS AVGVSTINI, tibi sudatum, & per annum vix ad calcem perductum, quod OCTO VOLUMINIBUS DIVISVM, a me PARADISI nomine est decoratum; & non immerito:* &c. De argumento autem *uniuscujusque Libri* hujus Epitomes agitur in eadem Præfatione circa finem his verbis: *Accingere itaque, Pater charissime, & ADMIRABILIS DOCTORIS scrutare SENTENTIAS, & quid sit Deus, & quid non sit Deus, & quid sit Trinitas, quidve Vnitas, sub-*

(1) Secundus *Liber*, *qui in impressis editionibus itidem inscribitur* de Abrahamo, *deest ibi.*
(2) *In Genesin a cap. 12. usque ad cap. 24.*
(3) *In Genesin cap. 25. & 26.*
(4) *In Genesin a cap. 27. usque ad cap. 35.*
(5) *In Genesin a cap. 37. usque ad cap. 46.*
(6) *In Genesin cap. 48. & 49.*
(7) *In Libri tertii Regum cap. 21.*

subtili indagatione considera; & de diversitate Personarum, & de uniuscujusque Personæ proprietate, & de missione Filii, & de Processione Sancti Spiritus, & qualiter unum tria sit, & qualiter tria unum sint, & de Divina Providentia in PRIMO lege & investiga viriliter. In SECUNDO vero Volumine de rationali quære creatura, & qualiter Angelica creata sit creatura, qualiterve humana, & cur DEVS *diabolum creaverit, quem præscierat peccaturum, cur vero hominem; & de libero arbitrio, & de gratia quære diligenter & invenies. In TERTIO vero de origine Adæ, & de Pascha, & de Baptismi Sacramento, & de Corporis & Sanguinis Domini Eucharistia, & de charitate scrutare viriliter. In QVARTO vero, cur adorandus sit Deus, cum sciat, quid nobis sit necessarium, & de septem petitionibus, & de diligendo Deo, & de lege naturali, & quod melius sit ab homine, quam a vitio vinci, & de adipiscendis virtutibus, & de cavendis vitiis, & de fugiendo mendacio, & de octo generibus ejusdem, & de percipiendis alimentis, & adversus Mathematicos, & contra Origenistas, si quæsieris naviter, invenies dilucidatum. In QVINTO vero invenies de doctrina Christiana, & quod inter omnia signa verba obtineant principatum, & de signis ambiguis, & de figuratis locutionibus, & qualiter intelligenda sit Sacra Scriptura, & de cavendis barbarismi vitiis, & de artium peritia, & de eloquentia, & de sep-*

Aptem (1) *Tychonii regulis, & de quinquagesima & quadragesima. In SEXTO vero de auctoritate Septuaginta Interpretum, quive fuerint, & ab ipso initio Geneseos usque ad Salomonis tempora multiplices & difficiles, solutas a Beato AVGVSTINO, invenies Quæstiones. In SEPTIMO vero multas sancti Evangelii & Doctoris Gentium enucleatas invenies Quæstiones. In OCTAVO vero scriptum reperies, quid sit Infernus, & utrum in Inferno mali tantum, an etiam boni mansuri sint, & an corpora possint esse in ustione ignis perpetua, & quibus Sacrificium prosit post mortem, & qualiter mortui in somnis viventibus appareant, & de oblatione vel eleemosyna pro defunctis, & quod Adam morte Dominica ab Inferno sit liberatus, & de duabus Resurrectionibus, & quod peracto Judicio ignis fiet conflagratio, & an ad Dominici Corporis modum omnium mortuorum resurrectura sint corpora, & de novitate corporis spiritualis, & de possessione æternæ beatitudinis, & de qualitate visionis, qua Deus in futuro videbitur, & de æterna Civitatis Dei felicitate. Talibus deliciarum pomis vescere, his te pasce deliciis, sicque Ligni Vitæ saginatus dulcedine, sermones Christi servabis, mortemque non gustabis in æternum. Meæ quoque compatiens infirmitati, mei laboris non immemor, ab ÆMVLORVM latratibus scuto tuæ orationis me protege.* Hucusque Epistola dedicatoria. Ipse autem Liber primus incipit his verbis: *Omne quod est, aliud*

(1) *De hoc* Tychonio *natione* Afro *vide* Gennad. Massil. *lib. de Scriptor. Eccles. cap. 18. & Auctores ibidem citatos in* Auberti Miræi *Scholio.*

aliud est, quod constat, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Vniversa igitur creatura &c. Dignissimum profecto est hoc Opus, ut adminiculo typographiæ publici fiat juris, cum propter enucleationem doctrinæ *S. Augustini*, tum vero etiam respectu ipsius *Bonizonis*, quippe qui tempore magni istius Schismatis inter Papam *Gregorium VII.* & Imp. *Henricum IV.* pietate, eruditione & constantia fuit clarissimus. Composuit autem hanc *Epitomen Augustinianam* ante initium Pontificatus jam memorati *Gregorii VII.* hoc est, ante annum Christi 1073. uti patet ex *Epistola dedicatoria*, quæ *Joanni Abbati* inscripta est. Hic enim est celeberrimus ille *S. Joannes* (1) *Gualberti*, patria *Florentinus;* Institutor & primus *Abbas Ordinis* (2) *Vallis Vmbrosæ*, qui obiit An. 1073. d. 12. Julii, & tam vivens, quam mortuus multis miraculis claruit. Qua de re consulenda sunt antiqua ipsius Acta, quæ extant apud *Laurentium Surium* Tomo quarto de probatis Sanctorum Historiis, sed, quod valde dolendum est, *mutato stylo*, ideoque valde corrupta & interpolata; & Card. *Baronii* Annalium Ecclesiasticorum Tomus undecimus, & ejusdem Notæ ad *Martyrologii Romani* diem *duodecimum Julii.* Hujus itaque *S. Joannis Abbatis Valumbrosiani* suasu composuit *Bonizo Augustinianam* illam *Epitomen*, eamque ob rem in *Epistola dedicatoria*, expresse ait, *ipsi sudatum esse* istud Opus, hoc est, ut ego interpretor, *secundum ipsius voluntatem & in ipsius usum non absque sudore* illud ex omnibus *S. Augustini* Scriptis collectum & elaboratum esse. Notabile etiam est, quod *Bonizo* in fine ejusdem Epistolæ dedicatoriæ *Joannem Abbatem* rogat, *ut orationis suæ scuto ab ÆMULORUM latratibus se protegat.* Per *ÆMULOS* enim illos intelliguntur sine dubio *Sacerdotes simoniaci & schismatici*, cum quibus uti ipsi *S. Abbati Joanni*, sic etiam amicis ejus & discipulis, & præcipue quidem *Bonizoni* perpetua fuit gravissimaque contentio. Cæterum cum in eadem Præfatione nulla *Episcopatus Bonizonis* vel *exilii* ejusdem fiat mentio, recte inde colligitur, compositum esse illud Opus, priusquam is in *Episcopum Sutrinum* electus est. Postquam autem is *Episcopali Dignitate* auctus, majori cœpit esse in honore, crevit simul etiam adversariorum ipsius *infensa ÆMULATIO*, & tandem in tantam erupit rabiem, ut *Sede Sutrina* per vim pulsus, inter varias persecutiones & ærumnas aliquamdiu in exilio oberraverit, donec demum *Placentiæ* ab iis, qui in illa Vrbe fuerunt *Catholici, Episcopus*

(1) *A Card.* Baronio *Annal. Eccles. Tom. XI. & a* Laurentio Surio, *Tom. IV. de Sanctorum Historiis vocatur is perperam* Joannes Gualbertus; *cum revera appellandus sit* Joannis Gualberti, *nempe ut subaudiatur* filius. *Habuit enim patrem nomine* Gualbertum, *ut in principio Actorum ipsius videre est.*

(2) *Monasterium hoc* Vallis Vmbrosæ, *quod* S. Joannes Gualberti *extruxit, situm est in* Hetruria, *XVIII. millibus passuum a* Florentia.

pus declaratus est: ubi ob continuationem constantissimæ defensionis *S. Sedis Apostolicæ* & *Libertatis Ecclesiasticæ sexto* secundi hujus Episcopatus sui *mense* ab ejusdem Vrbis factiosis *schismaticis* captus, & post durissimam in carcere macerationem, effossis oculis, & omnibus fere membris detruncatis, crudelissime occisus est A. 1089. d. 14. Iulii. Meminit hujus rei *Bertoldus* Presbyter Constantiensis, qui *Hermanni Contracti* Chronicon ab anno Christi 1053. usque ad annum 1100. continuavit, & a *Christiano Vrstisio* Basileensi inter Illustres Rerum Germanicarum Scriptores primum editus est, his verbis: (1) An. 1089. *BONIZO piæ memoriæ Sutriensis Episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri jam dudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes & exilia, a Placentinis Catholicis pro Episcopo recipitur, sed a schismaticis ejusdem loci, effossis oculis, & truncatus omnibus pæne membris, martyrio coronatur.* Hæc *Bertoldus* ille Constantiensis: quæ etiam Card. *Baronius* Annalium Ecclesiasticorum Tomo undecimo (2) iisdem verbis inseruit. Aliquanto autem prolixius de eodem *Bonizone* agit *Ferdinandus Vghellus* Florentinus Italiæ Sacræ Tomo primo in Catalogo *Episcoporum Sutrinorum* his verbis: (3) *BONNIZZVS, decimus quintus Episcopus Sutrinus, Vir longe doctissimus, floruit anno 1078. Hic* (4) *de Ecclesiasticis Commentariis eruditissime scripsit: cujus Episcopi honorifica mentio extat in quodam Comitissæ Matildis privilegio anno 1086. a qua ob egregias animi dotes magno in honore habitus est. Hujus item meminit Hubaldus Episcopus Mantuanus in Vita S. Anselmi* (5) *Episcopi. Bertoldus in Chronico illum Bonizonem appellat, qui ob Ecclesiæ Romanæ defensionem de Sutrina Cathedra depulsus est, postque varia duraque exilia a Catholicis Insubribus Placentiæ Civitatis Præsul adlectus est: demum ab hæreticis captus, orbatusque utroque oculo, ac cætera membra per exquisita tormenta truncatus, nobilem martyrii palmam adeptus est anno 1089.* Hæc *Ferdinandus Vghellus* Italiæ Sacræ Tomo primo. Secundo autem Tomo ejusdem Operis, & quidem in Catalogo *Episcoporum Placentinorum*, facit ejusdem *Bonizonis* mentionem hoc modo: *S.* (6) *BONITIVS, quem Bertoldus in Chronico BONIZONEM appellat,* (7) *fuit Episcopus Placentinus quadragesimus primus. Hic cum libertatem Ecclesiasticam contra Henricum Cadolaumque Pseudo-Pontificem strenue propugnaret, de Sutrina Sede,*

(1) *Pag. 362. editionis Francofurtensis Wechelianæ Anno 1585. in folio.*

(2) *Nempe in Actis anni 1089. pag. 601. editionis Antverp. Plantini.*

(3) *Ita ibi perperam legitur* Bonizzus, *non autem* Bonizo, *ut recte legitur apud* Bertoldum *& in ipso* Bonizonis Epitaphio.

(4) *Revera hic legendum existimo*: Hic Ecclesiasticos Commentarios eruditissime scripsit; *ita nempe, ut per* Ecclesiasticos Commentarios *intelligantur* Bonizonis Decretorum Ecclesiasticorum Libri septem, *de quibus paulo post agitur prolixius.*

(5) Lucensis.

(6) *Ita ibi perperam legitur pro* Bonizo.

(7) *Et quidem vere & recte, uti patet ex ipso* Bonizonis Epitaphio.

de, unde primum Jus divinum dicebat, impio Imperatore jubente, deturbatus est. Deinde cum plura ærumnosaque mutasset exilia, perveniſſet Placentiam, ibi a Catholicis ejusdem Civitatis est dictus Episcopus, dimicansque cum impietate ac factiosis schismaticis, primum est carcere maceratus, postea truncatus membris atque exoculatus, prope sanctum Domninium nobili est coronatus martyrio sexto mense, quam Placentiam Ecclesiam cœperat administrare, anno 1089. die 14. mensis Julii. Ejus sacrum corpus cremonam delatum, ibidem exceptum tumulo est apud S. Laurentium, ubi hæc subjecta carmina incisa leguntur:

NOBILE DEPOSITUM TIBI CLARA PLACENTIA GESSIT ANTISTES(1) BONIZO, CHRISTI PRO NOMINE MARTYR, SEPTIMA BIS JVLII HVNC LVX COLLEGIT IN VRNA.

Hæc *Ferdinandus Vghellus* Italiæ Sacræ Tomo secundo. Locus autem ille ab eodem citatus, ubi *Bonizonis* in *Vita S. Anselmi Episcopi Lucensis* fit mentio, extat in Syntagmate *Veterum Monumentorum*, pro *Gregorio VII.* aliisque nonnullis *Pontificibus Romanis* contra *Schismaticos* olim conscriptorum, a *Sebastiano Tengnagelio*, Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis tertio ante me Præfecto, Ingolstadii A. 1612. in 4to edito, pag. 105. his verbis: *Rogavit S. Anselmus, quoad vixit, quatenus in Capitulo Monasterii S. Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani sub obedientia sacri Cluniacensis Cœnobii, unde frater ipse ac Monachus fuit, sepulturæ commendaretur; & cum, concedentibus Episcopo atque Comitissa Matilda, cæterisque omnibus, jam deferretur ad Monasterium corpus, affuit subito SVTRIENSIS EPISCOPVS NOMINE BONIZO, quem & Spiritus Sanctus suscitavit, ut clamaret dignum esse, ut in Episcopio Episcopus sepeliretur. Tanta, inquit, lucerna, non decet, ut abscondatur: ipse adhuc vivens tantam indignum se humiliavit, nos autem ut vere dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum. Acclamatum est idem statim ab universis, rapiturque a Monachorum obsequiis; in Episcopium defertur, ibique venerabiliter sepelitur.* Hucusque insigne illud de Bonizone testimonium ex *Vita S. Anselmi Episcopi Lucensis*, ab Autore coætaneo, quem *Vghellus* supra citato loco *Hubaldum Episcopum Mantuanum* nuncupat, conscripta; quod quidem etiam Card. *Baronius* Annalium suorum Ecclesiasticorum Tomo *undecimo* (2) inseruit, sed

(1) *Vera hæc est & genuina hujus nominis scriptura, quæ etiam extat apud* Bertoldum *Constantiensem, & in antiquo Codice MSto* Ambrasiano, *de quo in præsens agitur. Perperam autem nomen hoc* Bonizo *alibi mutatum legitur in* Bonizzo, Bonizzus, Bonitho, Bonitus, Bonithius & Bonisius. *Est nempe* Bonizo *diminutivum a nomine proprio* Bonus, *quemadmodum* Domnizo *a* Domus, Gunzo *a* Gunterus, Erizo *ab* Ericus, *& alia ejus generis.*

(2) *In Actis anni 1086. p. 580. editionis Antverp. Plantin.*

ſed enormiter & graviſſime depravatum, quia pro SVTRIENSIS EPISCOPVS NOMINE BONIZO perperam ac mendoſe ibi legitur SABINENSIS EPISCOPVS DOMINVS DOMNIZO. Ut enim certo conſtat, A. 1086. quo *S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis* obiit, BONIZONEM fuiſſe *Epiſcopum Sutrinum*, ita quoque veriſſimum eſt, nullum eo tempore fuiſſe *Epiſcopum Sabinenſem* (1) DOMNIZONEM, ſed GREGORIVM; uti videre eſt in *Alfonſi Ciaconii* Hiſtoria Pontificum Romanorum: quippe ubi incorruptis monumentis antiquis ſolide demonſtrat, VBALDVM, qui a Papa *Alexandro Secundo* Cardinalis *Epiſcopus Sabinenſis* creatus eſt, obiiſſe ſub Pontificatu *Gregorii Septimi*; in ejus autem defuncti locum a jam memorato Papa *Gregorio VII.* creatum eſſe *Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem* CREGORIVM, qui An. 1077. ad Imp. *Henricum IV.* Legatus in Germaniam miſſus eſt, & ſub Papa *Vrbano II.* qui Anno 1088. electus eſt, obiit. Quamobrem non ſolum ſupra citatus Card. *Baronii* locus corrigendus eſt, verum multo etiam magis *Catalogus Epiſcoporum Sabinenſium*, qui extat in *Ferdinandi Vghelli* Tomo primo Italiæ Sacræ; utpote ubi inter *Epiſcopos Sabinenſes* VBALDVM & GREGORIVM fictitius ille DOMNIAZO in medio inſertus eſt his verbis: *DOMNIZO, decimus tertius Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1076. Interfuit exſequiis Sancti Anſelmi Epiſcopi Lucenſis, de quo in Vita ejuſdem Sancti. De hoc Domnizone nulla alia extat mentio: oportuit eum ſucceſſiſſe Vbaldo.* Hæc *Ferdinandus Vghellus* de commentitio illo *Epiſcopo Sabinenſi* DOMNIZONE. Ad quæ refutanda hoc unum ſufficit, quod expreſſe ait, Epiſcopum illum *exſequiis S. Anſelmi Epiſcopi Lucenſis interfuiſſe*, eaque de re *in Vita ejuſdem Sancti* ſingulare quoddam extare teſtimonium. Res ipſa enim indicat, non alium *Vitæ S. Anſelmi* locum ſignificari, quam illud ipſum de BONIZONE EPISCOPO SVTRIENSI teſtimonium, ab ipſo *Vghello*, ut (2) ſupra videre eſt, in *Catalogo Epiſcoporum Sutrinorum* ſive *Sutrienſium* allegatum, quod ego paulo ante ſecundum veram & genuinam *editionis Tengnagelianæ* lectionem integre exhibui. Meminit ejuſdem BONIZONIS etiam *Philippus Ferrarius* in *Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt*, his verbis: *De B. BONIZONE Epiſcopo & Martyre, cujus memoria celebratur Placentiæ d. 14. Julii, traditur in Annalibus Vrbis Placentinæ, quod is Sutrinus primum Epiſcopus fuerit ſub Paſchali Papa; deinde autem factus*

(1) *Vixit quidem eodem Tempore* Domnizo *aliquis, qui de Vita Comitiſſæ Mathildis duos Libros metrice compoſuit; ſed ille fuit tantum ſimplex* Presbyter, *non autem* Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis; *ut ipſe teſtatur Card.* Baronius *Annal. Eccleſ. Tom. XI. in Actis anni 1070. pag. 391. editionis Antverp. Plantinianæ. Ipſi* Domnizonis Presbyteri Libri duo de Vita Comitiſſæ Mathildis, *quorum jam feci mentionem, extant in ſupra citato* Syntagmate Veterum Monumentorum contra Schiſmaticos, *a* Sebaſtiano Tengnagelio, *edito.*

(2) *Vide ſupra pag. 612.*

ctus Placentinus Episcopus, & ab hæreticis orbatus oculis, & pulsus Sede, Cremonam migraverit. Hæc jam citato loco *Philippus Ferrarius.* Vbi primo falsum est, quod ait, *Bonizonem fuisse Episcopum Sutrinum sub PASCHALI Papa. Paschalis* enim, *PRIMVS* ejus nominis Pontifex Romanus obiit A.C. 824. *Paschalis* autem *SECVNDVS* cœpit esse Pontifex Romanus Anno 1099. unde patet, *Bonizonem*, qui An. 1089. occisus est, sub *neutro* horum *duorum Paschalium Episcopatui Sutrino* præfuisse. Secundo falsum est, eundem *Bonizonem*, *orbatum oculis & Sede Placentina pulsum*, *migrasse Cremonam.* Certo enim constat, *Bonizonem* eodem tempore, ubi oculis privatus est, simul etiam, omnibus fere membris detruncatis, *Placentiæ* esse occisum; consummato autem martyrio, corpus ejus *Cremonam* delatum atque ibi sepultum esse. Cæterum valde mirandum est, quod non solum *Sigebertus Gemblacensis*, *Henricus Gandavensis*, *Joannes Trithemius*, *Cardinalis Bellarminus*, *Guilielmus Eysengreinius*, *Aubertus Miræus*, *Antonius Possevinus* & *Philippus Labbeus* in Catalogis suis Scriptorum Ecclesiasticorum, verum etiam *Joannes Jacobus Frisius* in Bibliotheca Vniversali Gesneriana, a se multo quam ante auctius edita, & *Gerhardus Joannes Vossius* in Opere de Historicis Latinis, nullam omnino hujus BONIZONIS faciant mentionem, cum tamen is præter supra memoratam *Operum S. Augustini Epitomen*, alia etiam non pauca partim *Theologica*, partim *Historica scripserit* Opera, quorum *unum præ cæteris memorabile* reperi inter *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* Codices MStos Historicos Latinos, qui nondum (1) certis numeris notati sunt. Volumen, quo illud continetur, *membranaceum* est in *folio minori* seu *quarto majori*, &, quantum ex scriptura aliisque circumstantiis judicare licet, non multo post *Bonizonis* mortem exaratum est. Possessor *hujus rarissimi* & *forsan unici Codicis MSti* fuit olim, ut *ipse* primo ejus folio *propria manu* testatur, *Joannes Albertus* (2) *Widmestadius* sive (3) *Widmanstadius*, *Imp. Ferdinandi I.* (4) *Consiliarius*, & *Provinciarum Austriæ Orientalis Cancellarius*, Jurisconsultus doctissimus, & Linguarum *Hebraicæ*, *Syriacæ*, *Chaldaicæ* & *Arabicæ* peritissimus, qui *Novum Testamentum Syriacum* elegantissimis *literis Syriacis Vindobonæ* sive *Viennæ Austriæ* A. 1562. typis *Michaelis Zimmermanni* in 4to curavit imprimi, & (5) *Bibliothecam* suam, libris Orientalibus instructissimam, Sereniss. Bojorum Duci *Alberto* vendidit. Continetur autem jam memorato Codice hactenus ineditum BONIZONIS

(1) *Jam certo numero notatus est inter Hst. Lat. MS. n. 462.*

(2) *Ita hoc nomen gentilitium* propria ipsius manu *ibi scriptum cernitur, nempe* Widmestadius, *non autem* Widmanstadius.

(3) *Ita hoc nomen gentilitium impressum cernitur in* Novo Testamento Syriaco, *cura ipsius Vindobonæ A. 1562. edito.*

(4) *Hic* titulus *extat iisdem verbis in ipsius* Novo Testamento Syriaco.

(5) *Hoc annotavit V. CL.* Sebast. Tengnagelius *propria manu sua prima hujus Codicis pagina in margine.*

(1) DECRETALE, sive *Syntagma* DECRETORVM ECCLESIASTICORVM, ex *Sacra Scriptura probatisque Conciliis*, ut & ex *Pontificum Romanorum* & *Sanctorum Patrum*, aliorumque *orthodoxorum Autorum* monumentis collectum, & secundum *Locos communes* in SEPTEM LIBROS divisum: cui *Proœmii* loco præfixa est *Epitome Historiæ Pontificum Romanorum* a *S. Petro* Apostolorum Principe usque ad Papam *Vrbanum II.* qui die duodecimo Martii anni 1088. electus est. Titulus jam memoratæ Epitomes hic est: *CHRONICA ROMANORUM PONTIFICUM EDITA A BONITHONE SUTRINO EPISCOPO, VIRO PER OMNIA DOCTISSIMO.* Principium autem ejusdem hoc est: *Scripturus de EXCELLENTIA ROMANÆ ECCLESIÆ, & de PRIVILEGIIS ad ejusdem Ecclesiæ Episcopum pertinentibus, & de CONSTITUTIONIBUS ejusdem, solertem rogo Lectorem, ne citissime in meam prorumpat sugillationem, dum viderit me in tam profuso Opere succinctum, pauca dixisse de magnis. Quod si Moyses omnem scientiam doctus Ægyptiacam, qui erat Vir mitissimus super omnes homines, qui habitant in terra, quem DOMINVS noverat ex nomine, incircumcisum se labiis dicit, ne mitteretur ad Ægyptum, & Jeremias se puerum nominat, ne ad Regna evellenda & plantanda, ædificanda & destruenda mitteretur excusans, quid ego miserrimus, nullius bonitatis vel scientiæ mihi conscius, aliud, quam me indignum tanto Opere judicabo? Sed quia* DEVS *in sentibus locutus est, &, cum voluit, linguam rudentis resolvit in verba loquentis, accepta fiducia ab illo, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, supplicabo ei, orans, ut meas, utinam! non dedignetur invisere sentes. Mihi vero multa volventi ac cogitanti nil melius occurrit, quam quod hæc SACROSANCTA ECCLESIA nullis Synodicis constituta, sed ipsius DOMINI est voce fundata, dicentis ad Beatum PETRUM: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui addita est societas Beati PAVLI Magistri Gentium, ut, quæ erat electa Caput Gentium, Sedes esset APOSTOLORUM PRINCIPIS & MAGISTRI GENTIUM. Ipsa est enim Vertex & Firmamentum omnium Ecclesiarum, dicente DOMINO ad Beatum PETRUM: Ego pro te rogavi PETRE, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quid dicam, quod omnis Christiana Religio* &c. In fine demum hujus *Epitomes Historiæ Pontificum Romanorum* refert ipse BONIZO, se etiam alios *duos libros* de Pontificibus

(1) *Si* Gratianus *ut a* Valentino Forstero *Historiæ Juris Civilis Romani lib. 3. cap. 7. asseritur* Opus decretorum, *a se collectum, absolvit Anno 1151. necessario sequitur*, Bonizonis Decretale Decreto Gratiani *antiquius esse* sexaginta duobus *circiter* annis; *nempe respectu intervali inter jam memoratum Annum 1151. & annum 1089. quo* Bonizo *occisus est.*

cibus Romanis ſcripſiſſe; quorum *primus*, qui continuit res geſtas ſub *Theophylacto* ſive *Benedicto IX.* & ſequentibus Pontificibus atque Antipapis uſque ad obitum *Gregorii VII.* inſcriptus fuit AD AMICVM; alter autem, qui comprehendit *Acta primi*, & ex parte etiam *ſecundi anni Pontificatus Vrbani Secundi*, inſcriptus fuit IN HVGONEM SCHISMATICVM, hoc eſt, contra (1) *Hugonem* cognomine *Candidum*, patria *Tridentinum*, Cardinalem Presbyterum Tituli S. Clementis, qui An. 1061. poſt obitum Papæ *Nicolai II.* Caput & Anteſignanus fuit eorum, qui novum Pontificem Romanum non niſi conſulto & conſentiente *Imp. Henrico IV.* creandum eſſe contenderunt. Ipſa BONIZONIS verba, quibus id in fine jam memoratæ Epitomes indicat, ſunt hæc: *Cæterum ſi quis de* (2) *THEOPHYLACTO Tuſculano, qualiter JOANNI* (3) *Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore THEOPHYLACTVS & GREGORIVS* (4) *& SYLVESTER* (5) *Romanum non regebant, ſed vaſtabant Pontificatum, & qualiter HENRICVS* (6) *Rex CONRADI* (7) *filius, Romanam Eccleſiam a talibus peſtibus liberavit, gnarus eſſe voluerit, legat LIBRUM, quem dictavi, qui inſcribitur AD AMICVM, & ibi inveniet, hæc ordinabiliter eſſe digeſta. Inveniet autem & ibi, Papa CLEMENS* (8) *electus qualiter ſit, qualiterve HENRICVS Rex IMPERATOR ab eodem ordinatus ſit; & de DAMASO* (9) *ejus ſucceſſore, quot in Papatu duxerit dies; & de præclaro LEONE,* (10) *quid in Papatu egerit, qualiterve vitam finierit; & de VICTORE* (11) *ejus ſucceſſore, quid egerit, aut quid ejus temporibus novum evenerit; & de STEPHANO,* (12) *GOTEFREDI Ducis germano, & qualiter ejus temporibus* (13) *patarea apud Mediolanum exorta eſt; & de NICOLAO* (14) *Papa, & de lite, quam habuit cum BENEDICTO* (15) *invaſore, & quid egerit in Papatu; & de ALEXANDRO* (16) *Papa, & de lite, quam habuit cum CADOLO* (17) *Parmenſe, & de ejus victoria, & quid egerit in Papatu, & de ejus fine; & de SEPTIMO GREGORIO, & de ejus electione, & de Vita ejus & moribus, & qualiter ad Altare DOMINI in Nativitate a CENTIO Viro crudeli*

(1) *De hoc* Hugone Candido *paſſim agit Card.* Baronius *Annal. Eccleſ. Tom. XI. Vide etiam* Platinæ & Alfonſi Ciaconii *Hiſtoriam Pontificum Romanorum, ubi agitur de Papa* Alexandro II. *qui anno 1061. contra* Cadolum *ſive* Cadaolum Palavicinum, *Epiſcopum Parmenſem, in ſchiſmate electus eſt.*
(2) *Appellatur is alias* Benedictus IX.
(3) *Ejus nominis XIXnus vel XXmus.*
(4) *Ejus nominis* Sextus.
(5) *Ejus nominis* Tertius.
(6) Tertius *ejus nominis Imperator, cognomine* Niger.
(7) Secundi *ejus nominis Imperatoris, cognomine* Salici.
(8) *Ejus nominis* Secundus.
(9) *Ejus nominis* Secundo.
(10) *Ejus nominis* Nono.
(11) *Ejus nominis* Secundo.
(12) *Ejus nominis* Nono, *alias* Decimo.
(13) *Ita ibi ſcriptum legitur.*
(14) *Ejus nominis* Secundo.
(15) *Ejus nominis* Decimo.
(16) *Ejus nominis* Secundo.
(17) *Alias* Honorio II.

dèli captus sit, & eo die DEI *gratia liberatus, & de* (1) *werra, quam sustinuit ab HENRICO Imperatore, & de controversia, quam habuit cum WIBERTO,* (2) *& de ærumnis, quas sustinuit, & obsidione Civitatis & sua, & qualiter a ROTBERTO Romanorum Duce sit liberatus, & qualiter beato fine quieverit, aptissime declarata. VRBANI vero Pontificis Acta, & de ejus* (3) *victoria, si quis scire voluerit, legat LIBRUM, quem scripsi IN HVGONEM SCHISMATICVM, & ibi inveniet ad plenum dilucitata, quæ voluerit. Hucusque incipiens a Beato PETRO Apostolorum Principe usque ad* (4) *NOSTRA tempora Romanorum Pontificum Acta compendiosè digessimus, superest nunc, ut de PRIVILEGIIS ad Romanum Pontificem pertinentibus, & de PRÆROGATIVA ipsius Sedis, non profusè, sed succincte,* DEI *juvante gratia differamus.* Hucusque BONIZONIS illa *Epitome Historiæ Pontificum Romanorum*, quæ *Decretorum Ecclesiasticorum Libris septem*, ab ipso collectis, *Procœmii loco* præfixa est. Hæc igitur sunt illa *Chronica BONIZONIS*, sive ut idem alias corrupte appellatur, *BONISII de Gestis Pontificum Romanorum*, quorum *Martinus Polonus* in Chronici sui *Præfatione* meminit his verbis: *Compilavi autem præsens Opusculum ex Scriptis Titi Livii, ex Chronicis Orosii, ex Chronicis Damasii Papæ de Gestis Pontificum, EX CHRONICIS BONISII EPISCOPI SVTRINI DE GESTIS PONTIFICVM, ex Chronicis Pauli Romani Diaconi* &c. Ita enim hic locus revera legendus est, non autem, ut in *Joannis Oporini* editione Basileensi A. 1559. in folio, & in *Suffridi Petri* editione Antverpiensi Plantiniana A. 1574. in 8vo perperam & mendose legitur: *DE GESTIS BONISII EPISCOPI SVTRINI, DE GESTIS PONTIFICVM.* Quamobrem merito reprehendendus est *Joan. Fabricius* cognomine *Cæsar*, qui in editione sua ejusdem Chronici, Coloniæ Agrippinæ typis Gerhardi Grevenbruch A. 1616. in folio excusa, verba *Præfationis Martini Poloni*, quibus *Chronicorum BONISII* sive *BONIZONIS de Gestis Pontificum Romanorum* facit mentionem, omnino omisit; nempe haud alia de causa, quam quoniam ipsi BONISIVS iste sive BONIZO prorsus fuit incognitus.

A

B

C

D

LXXXVI.

Theol. 682.

Volumen *membranaceum latinum in quarto oblongo, ante mille & ducentos circiter annos literis majusculis & absque singularum vocum distinctione* eodem modo exaratum, uti antiquissimus ille *Codex MStus Dioscoridianus*, de quo (5) supra capite *septimo* hujus Libri accurate & ex

(1) Werra *pro* bello.

(2) *Alias* Clemente Tertio.

(3) *Vide* Bertoldi Constantiensis Appendicem *ad* Hermanni Contracti *Chronicon in Actis anni 1088. & 1089. ut &* Domnizonis *librum secundum de Vita Comitissæ* Mathildis.

(4) *Nempe usque ad annum Christi 1089. qui fuit Papæ* Vrbani *II.* secundus *a die 12. Martii.*

(5) *Vide supra pag. 121. & deinceps usque ad pag. 285. Inprimis autem inspice Tabulam ær. incisam, quæ inter p. 252. & 253. insertaest*

ex professo actum est. Continentur autem jam memorato Volumine (1) *RVFINI* (2) *Presbyteri Aquilejensis Libri duo in Caput Geneseos quadragesimum nonum de Benedictionibus duodecim Patriarcharum*, rogatu *S. Paulini Episcopi Nolani* compositi; quorum *primus* Explanationem *Benedictionis Judæ*, *secundus* autem *Benedictionis* reliquorum *undecim Patriarcharum* Expositionem complectitur. *Primo* totius Voluminis folio extat depicta Imago *S. Crucis* intra *Coronam*, quasi *Triumphalem* (3) & sub ea *duo pavones cærulei*: sequentibus autem *quatuor* foliis continentur *Canones Græci Concordiæ Sanctorum quatuor Evangelistarum*; quibus folio *sexto* subjunctus est hic Titulus: ΤΑΔΕ ΕΝΕΣΤΙΝ. ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ Δ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ.

A Ubi notandum est, non solum *majusculas* illas *literas Græcas*, quibus tam *Titulus* hic, quam *Canones* isti scripti sunt, verum etiam reliquum omnem *ornatum* simillimum esse *scripturæ* & *ornatui* paulo ante memorati vetustissimi Codicis *Dioscoridiani*. Opinor autem *Initium* hoc *quatuor Evangeliorum*, *sex* tantum constans *foliis*, fragmentum esse pecu-
B liaris cujusdam Codicis *totius Novi Testamenti Græci*, qui vel injuria temporis, vel possessorum suorum incuria periit. Post *sextum* itaque folium, quo *Titulus generalis quatuor Evangeliorum* continetur, sequitur *septimo* folio alia quædam *Imago S. Crucis*, collocatæ in *summitate* (4) *septem montium* inter *duas* (5) *aves*, & circumdatæ *Co-*
C *rona*, quæ dimidia parte superiori refert *Iridem*. *Octavo* dein folio incipit *Epistola S. Paulini ad Rufinum* hoc modo:

PAVLINVS RVFINO FRATRI SALVTEM.
VEL BREVIS NOBIS AB VNIANIMITATE TVA LITTERAE

(1) *Ita hoc nomen recte ibi scriptum est, nempe RVFINVS per unum F, non autem, ut passim impressum cernitur RVFFINVS per duplex FF. Corrigenda ergo est etiam editio* Operum Rufini *a* Renato Laurentio De la Barre *Parisiis edita, quippe ubi in ipso frontispicio uncialibus literis legitur RVFFINVS.*

(2) *De amicitia inter* S. Hieronymum *&* Rufinum, *& de gravissima simultate, quæ postea inter illos orta est, nec ab ipso* S. Augustino, *communi utriusque amico, extingui potuit; vide* Renati Laurentii de la Barre *Epistolam dedicatoriam, Operibus* S. Rufini *præfixam, &* R. P. Philippi Labbei *Dissertationem ad Card.* Bellarmini *librum de Scriptoribus Ecclesiasticis. Quanquam autem de anno mortis* Rufini *non certo constet, communis tamen maximeque recepta doctorum Virorum opinio est, eum S.* Hieronymo, *qui A. 420. obiit, non superfuisse.*

(3) Pavo *in antiquis Christianorum monumentis hieroglyphica est effigies* diaboli *&* tentationum *ejus, eoque respectu etiam in hoc vetustissimo Codice MSto sub* S. Cruce *duo* Pavones *collocati esse videntur. Vide Descriptionem* Romæ subterraneæ *lib. 6. cap. 36.*

(4) *Significatur sine dubio per eos Vrbs* Roma, *quæ a* Propertio *vocatur.* SEPTEM Vrbs alta JUGIS, toti quæ præsidet Orbi. *Huc etiam pertinet illud Martialis.* Hinc SEPTEM dominos videre MONTES, Et totam licet æstimare ROMAM.

(5) *Opinor eas debere esse duas* columbas. *Quam frequenter enim illæ in antiquis Christianorum monumentis cernantur, & quid significent, vide in descriptione Romæ subterraneæ lib. 36. cap. 35.*

TERAE MAGNO REFRIGERIO SVNT SICVT IN PENVRIA PLVVIARVM AGER SITIENS RORE RECREATVR &c.

Qua finita, ſequitur *Reſponſum Rufini* ſub hoc Titulo:

(1) RESCRIBTA AD PRESBYTERVM PAVLINVM DE JVDAE BENEDICTIONIBVS.

Ipſum autem principium iſtius Reſcripti hoc eſt:

QVANTO MAGIS EGO ME TIBI EXCVSO ET MINVS IDONEVM AD RESPONSIONEM EORVM QVAE SCISCITARIS AFFIRMO TANTO TV INSTANTIVS PERCONTARIS &c.

Ubi notandum eſt, circa finem hujus Epiſtolæ reſponſoriæ *unum* deeſſe integrum *folium*, eandemque lacunam etiam in editione *Operum Rufini*, a *Renato Laurentio de la Barre* Lutetiæ Pariſiorum typis Michaelis Sonnii A. 1580. in folio publicata, extare hoc modo: PRO- BABVNTVR - - (*Hic deſunt nonnulla*) - - MIS CÆTERIS &c. Folium enim, quod in vetuſtiſſimo hoc Codice MSto lacunam iſtam proxime præcedit, definit hoc verbo PROBABVNTVR; folium autem, quod ibidem eandem lacunam proxime ſequitur, incipit hac imperfectæ cujuſdam vocis ultima ſyllaba MIS. Ipſa demum *Explanatio Benedictionis Judæ* incipit his verbis: AIT ERGO JVDA TE CONLAVDENT FRATRES TVI &c. Operæ pretium profecto facturus eſt, ſi quis præſtantiſſimum hunc & veneranda vetuſtate ſua admirandum Codicem a capite uſque ad calcem cum impreſſis editionibus accurate contulerit. Ut interim autem ex qualicunque ſpecimine appareat, qualis ejus ſit *ſcriptura* tam *Græca*, quam *Latina*, & cujuſmodi ſint *duæ* illæ *Imagines S. Crucis*, quæ non ſimplicis ornatus cauſa, ſed tanquam *Chriſtianæ Fidei glorioſa Inſignia ac Trophæa*, ibidem cernuntur depictæ, conſulenda ſunt accuratiſſima duo apographa, æri inciſa, quæ e regione hujus paginæ inſerui. (*) (**)

LXXXVII.

Theol. 189.

S. Bonaventuræ Summa aurea de Gradibus Vitiorum, chartacea in folio.

LXXXVIII.

Theol. 469.

Petri Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia Archidiaconi & apud Archiepiſcopum Cantuarienſem Cancellarii, qui circa annum Chriſti 1200. vel paulo poſt obiit, *Epiſtolæ membranaceæ in quarto*, digniſſimæ, ut accuratæ conferantur cum impreſſis, quæ extant inter *Opera* ipſius a R. P. *Joanne Buſæo* edita Moguntiæ typis Joannis Albini A. 1600. in 4to.

LXXXIX.

(1) *Ita in hoc Codice non ſolum hic, verum etiam alibi legitur RESCRIBTA per BT, non autem per PT.*





ΤΑΔΕΝΕCΤΙΝ
ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ Δ
ΚΑΤ· ΜΑΤΘΑΙΟ
ΚΑΤ· ΜΑΡΚΟΝ
ΚΑΤ· ΛΟΥΚΑΝ
ΚΑΤ· ΙΩΑΝΝΗ



PAULINUS: RUFINO: FRATRI SALŪ

UELBREUIS NOBIS ABUNI
ANIMITATE TUA LITTERAE MAG
NORE FRIGERIO SUNT SICUT
IN PENURIA PLUUIARUM
AGERSITIENS ROREE RECRE
ATUR UNDE REFECTOS NOS
QUAMUIS BREUI EPISTULA
TUA AD TAMENTUA PERPUE
RUM COMMUNIUM FILI·
RUM FATEMUR SED TAMĒ
RURSUS AD FECTOS QUIAE
TIAM NUNCUOS INAEST
SOLLICITUDINIS ET INCER
TO MORARUM ROMAM PA
TII NDICASTIS DET NOBIS



LXXXIX.

Theol. 137.

Volumen *chartaceum in folio*, continens *Summam Vitiorum* ſive *Tractatum de ſeptem vitiis capitalibus, & de modis, quibus debeant & poſſint caveri ac vitari.*

XC.

Theol. 645.

Volumen *chartaceum in quarto*, quo præter *Locos communes Theologicos* ex Sanctis Patribus collectos & ordine alphabetico diſpoſitos, continetur Epitome quædam variorum *Sermonum de Sanctis* & aliis ſacris materiis.

XCI.

Theol. 520.

Volumen *chartaceum in quarto*, continens varios *Tractatus*, partim collectos, partim compoſitos a *Fratre Leonardo, Lectore Conventus Wiennenſis Ordinis Prædicatorum*, & *Imp. Friderico V.* A. 1469. dicatos: nempe I. *de modo mitigandi iratos;* II. *de ſeptem conditionibus viæ ſalutis in patriam Regni cœleſtis;* III. *de infidelibus orationibus, & de virtute devotæ orationis;* IV. *de inductione Potentum ad libenter cogitandum de ſua morte occaſione Alexandri Magni;* V. *de Imp. Veſpaſiani patientia, ex Joannis Sarisberienſis Policratico;* VI. *de Præſulum Eccleſiaſticorum Germaniæ converſatione ſeculari, exemplo Samuelis defenſa, ex Jordani Chronica;* VII. *de Indulgentiis.* VIII. *de Igne Purgatorio in Homiliam S. Auguſtini, quæ incipit: In lectione Apoſtolica, quæ A nobis &c.;* IX. *de Indulgentiis Inquiſitiones viginti quinque ſuper Tractatum Venerabilis Antonini Archiepiſcopi Florentini, de eadem materia;* X. *de Fide uxoria, & inſigni atque admirabili obedientia, autore Franciſco Petrarcha,* & nonnulla minoris momenti alia.

XCII.

Theol. 637.

Volumen *chartaceum* in *quarto*, quo, ut ex præfixo Indice apparet, continentur hæc: I. *Tractatus de Præparatione cordis;* II. *Teſtamentum Electorum;* III. *Tractatus de Tribulationibus;* IV. *Diſputata quædam de S. Sacramento Euchariſtiæ;* V. *Tres Sermones Beati Auguſtini de S. Stephano;* VI. *S. Bernhardi Homiliæ quatuor ſuper Evangelio Miſſus eſt &c.;* VII. *Homilia B. Joannis Chryſoſtomi & Venerabilis Bedæ in die Palmarum.*

XCIII.

Theol. 217.

Volumen *chartaceum* in *folio*, quo continentur hæc: *Magiſtri* (1) *Joannis Aurbachii, egregii Decretorum Doctoris Directorium Sacerdotum*, cujus principium: *Ad laudem* Dei, *animarum ſalutem, Curatorumque ſimplicium brevem & ſimplicem directionem* &c.

Tractatus de Superſtitionibus, cujus principium: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, &c.

Magiſtri Nicolai de Dinckelſpühel Explanatio decem Præceptorum, cujus principium: *Scribit Matthæus cap. 22. quod, cum quidam legum do-*

(1) *Vide de eo* Joan. Jac. Friſii *Bibliothecam Univerſalem, ubi ait, eum fuiſſe natione* Germanum & Presbyterum Eccleſiæ Bambergenſis.

doctor interrogaſſet Dominum dicens, A &c.

Iſidori Cardinalis Epiſcopi Sabinenſis Epiſtola de devaſtatione Vrbis *Conſtantinopolitanæ* per *Turcas*, cui ipſe A. 1453. interfuit. Principium ejus hoc eſt: *Iſidorus miſeratione divina Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Rutenus vulgariter nuncupatus, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, has* B *noſtras literas inſpecturis ſalutem in Domino noſtro* JESV *Chriſto. Audite hæc omnes Gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram*, &c. De hoc *Iſidoro*, qui natione fuit *Græcus*, patria autem *Theſſalonicenſis*, ſatis prolixe agit *Ferdin. Vghellus* Ital. Sacr. Tom. 1. in Catalogo Epiſcoporum *Sabinenſium*.

Epiſtola *Imperatoris Turcarum* C ad *Papam Nicolaum V.* translata in linguam Germanicam.

Papæ Calixti III. Epiſtola ad Archiepiſcopum *Saltzburgenſem* de ſua electione ad faſtigium Pontificale data A. 1455.

Ejuſdem Papæ *Calixti* ſolenne *Votum* & *Juramentum* de recuperanda Vrbe *Conſtantinopolitana* etiam cum effuſione proprii ſanguinis.

Conſtitutiones (1) *Guidonis*, Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Presbyteri & Apoſtolicæ Sedis Legati, promulgatæ in Concilio Provinciali *Vindobonenſi* ſive *Wiennenſi* in Auſtria A. 1267. Pontificatus Clementis IV. anno tertio.

Conſtitutiones Concilii Provincialis *Saltzburgenſis*, ſub Archiepiſcopo *Friderico* habiti A. 1274.

Conſtitutiones Concilii Provincialis *Saltzburgenſis* ſub Archiepiſcopo *Friderico* A. 1281.

Conſtitutiones *Joannis* Cardinalis Epiſcopi Tuſculani promulgatæ in Concilio *Herbipolenſi*, celebrato An. 1287. coram *Imp. Rudolpho I.* & multis Principibus.

Conſtitutiones *duorum* Conciliorum Provincialium *Saltzburgenſium*, B celebratorum ſub Archiepiſcopo *Conrado* A. 1310. cum Additione duplici de *Contractibus matrimonialibus* & *Clericis Officialibus*.

Conſtitutiones Concilii Provincialis *Saltzburgenſis*, celebrati ſub Archiepiſcopo *Peregrino* ſive *Pilgrino* A. 1386.

Præpoſiti & Fratrum Monaſterii S. Hippolyti Ordinis S. Auguſtini Epiſtola ad *Papam* contra *Fratres Minores de Obſervantia* ob Conventum in (2) *Oppido S. Hippolyti* contra illorum voluntatem erectum. Subſcriptum eſt: *Fiat, ut petitur, de futuro, & committatur Præpoſito S. Dorotheæ Wiennenſis. Datum Senis, XI. Kal. Martii, anno ſecundo.*

Formulæ diverſarum *literarum*, D in quarum fine extat *Epiſtola* quædam ad *Æneam Sylvium*, Epiſcopum Senenſem & Apoſtolicæ Sedis Legatum.

XCIV.

Theol. 372.

Volumen *membranaceum* in *folio*, continens anonymi cujuſdam Autoris *Summam in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, cujus principium: *Sicut deſidioſi & pigri* &c. XCV.

(1) *Has Conſtitutiones vide Analect. T. I. integre inſertas pag. 1. & deinceps.*

(2) *Vide ſupra pag. 287.*

XCV.

Theol. 737.

Volumen *membranaceum* in *octavo*, continens *Modum & formam confitendi.*

XCVI.

Theol. 522.

Volumen *chartaceum* in *quarto*, continens varia antiqua Monumenta, ad Hiſtoriam Vitæ duorum Hæreſiarcharum *Joannis Huſſi* & *Hieronymi Pragenſis*, & ad eorundem in *Concilio Conſtantienſi* condemnationem pertinentia.

XCVII.

Theol. 703.

Inſtitutiones Theologicæ, *chartaceæ* in *quarto*, quarum Titulus: *Theologia Practica ſive Moralis, in qua explicantur ea, quæ Eccleſiaſticos, potiſſimum vero curam animarum gerentes, ſcire oportet.* Totum hoc Volumen a capite uſque ad calcem ſcriptum eſt *propria manu* Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Oenipontani LEOPOLDI V. Imp. FERDINANDI I. ex filio Archiduce CAROLO II. nepotis, Epiſcopi *Argentoratenſis* & *Paſſavienſis*, qui A. 1586. natus eſt, & A. 1632. obiit. Orſus autem eſt ſcribere hanc *Epitomen Theologicam* A. 1605. d. 18. Februarii, eamque abſolvit A. 1608. d. 28. Julii *Paſſavii* ſub Profeſſore R. P. *Wilhemo Jonſtonio.* Eodem Codice uſus quoque eſt jam memorati Archiducis LEOPOLDI *filius*, Sereniſſimus Archidux Oenipontanus SIGISMVNDVS FRANCISCVS, Epiſcopus *Auguſtanus*, qui A. 1665. præmature obiit.

XCVIII.

Theol. 564.

R. P. *Joannis Felicis*, Ordinis Minorum S. Franciſci, *Defenſio Sententiarum Petri Lombardi*, aliaque *varia Scripta* contra Hæreſiarcham *Martinum Lutherum* cum Epiſtola dedicatoria ad Regem Romanorum *Ferdinandum I.* Chart. in 4to.

XCIX.

Theol. 752.

Volumen *chartaceum* in *octavo*, quo continentur hæc: I. *Beati Anſelmi Exhortationes pro bona vita;* II. *S. Ambroſii Tractatus de moribus;* III. *S. Hieronymi Tractatus de Temperantia ad Paulinum;* IV. *S. Bernhardi Tractatus de Vita & moribus;* V. *S. Auguſtini Tractatus tres de Scientia Salutis, de miſeria hominis, & de contemptu Mundi ad Clericos;* VI. *S Bernhardi Tractatus, quomodo homo debeat compati Chriſto crucifixo;* VII. *Speculum Beati Auguſtini;* VIII. *Determinationes variorum Autorum ex libro Magiſtri* (1) *Matthiæ Pariſienſis, quem intitulavit de Regulis Veteris & novi Teſtamenti pro quotidiana vel alias frequenti Communione.*

C.

Theol. 786.

Joannis Trithemii, Spanheimenſis primum, deinde autem (2) *Monaſterii S. Jacobi in Suburbio Herbipolenſi Abbatis*, LIBER OCTO QVÆSTIONVM *ad Glorioſiſſimum Imp.* MAXIMILIANVM I. *char-*

(1) *Quamvis* Matthias *hic vulgo cognominatus fuerit* Pariſienſis, *revera tamen natione fuit* Boemus; *ut teſtatur* Joan. Jacobus Friſius *in Bibliotheca Vniverſali.*

(2) *Vide Analect. Tom. pag. 719.*

chartaceus in *octavo*, &PROPRIA *ipsius Trithemii* MANV exaratus; qui cum nec inter *Opera* ejus *Historica* Francofurti typis Wechelianis A. 1601. ex Bibliotheca *Marquardi Freheri* in folio edita, nec inter *Opera* ejusdem *Spiritualia* a R. P. *Joanne Busæo* Soc. Jesv Moguntiæ typis Joannis Albini A. 1604. in folio edita, extet, sed tantum inter *Paralipomena Opusculorum Petri Blesensis & Joannis Trithemii*, a jam laudato P. *Busæo* (1) Moguntiæ typis Balthasaris Lippi A. 1605. in 8tvo edita, ideoque ob raritatem suam minus sit cognitus, operæ pretium me facturum arbitror, si (2) *Indicem* illarum *octo Quæstionum* tanquam argumentum & specimen totius Opusculi hic inseruero. Is igitur in authentico illo Codice propria ipsius *Trithemii* manu exarato extat hoc modo:

Sequitur INDEX OCTO QVÆSTIONVM MAXIMILIANI Cæsaris Romanorumque Imperatoris Glorioſissimi cum SOLVTIONIBVS JOANNIS TRITEMII, Abbatis Monasterii S. Jacobi Herbipolensis, quondam vero Spanhemensis.

(3) *Quare Omnipotens CREDI potius a mortalibus voluit, quam SCIRI vel INTELLIGI, eo videlicet modo cognitionis & intelligentiæ, quo a sanctis Angelis cognoscitur & intelligitur; Quæstio prima.*

(4) *Cum particula Orbis habitabilis parva legibus hodie FIDEI sit subjecta CHRISTIANÆ, utrum illa opinio plurimorum sine injuria veritatis videatur admittenda, qui putant unumquemque IN SVA RELIGIONE, quam credit esse veram & salutarem, VNIVSQVE DEI CVLTOREM, extra Fidem Christianam & sine baptismate posse salvari, & maxime illi, quibus Fides Christi non est denunciata; Quæstio secunda.*

(5) *Si nemo extra FIDEM CHRISTI salvatur, unde MIRACVLA INFIDELIBVS: quomodo fieri stupenda etiam apud incredulos Paganos, Saracenos, Judæos & alios multorum relatione sæpe cognovimus; Quæstio tertia.*

(6) *Quare Omnipotens DEVS SCRIPTURAM SANCTAM, tam Veteris, quam Novi Testamenti mysteria Fidei nostræ continentem non dedit apertam, manifestam, in omnibusque solidam, maturam, uniformem, & palam ad omnia sufficientem, sed involutam potius atque confusam, & in multis locis puerilem, ridiculosam, ænigmatibus plenam, & sibi ipsi contrariam. Multa enim ad perfectionem Christianæ Fidei sunt necessaria, quæ in Divinis Scripturis non reperiuntur sufficienter expressa; Quæstio quarta.*

(7) *Quare homines impii, mali & reprobi circa Fidem, ut sunt mulieres*

(1) *Eadem* Paralipomena *secundum excusa sunt Coloniæ Agrip. apud Joannem Wulffraht anno 1624. in 8vo.*

(2) *Hic* Index *deest in editione impressa R. P.* Busæi.

(3) *Hæc Quæstio in lemate Responsi, brevius inscribitur* De Fide & Intellectu.

(4) *Hæc Quæstio in lemmate Responsi brevius inscribitur* De Fide necessaria ad salutem.

(5) *Hæc Quæstio in lemmate Responsi brevius inscribitur* De Miraculis infidelium.

(6) *Hæc Quæstio in lemmate Responsi brevius inscribitur* De Scriptura Sacra.

(7) *Hæc Quæstio in lemmate Responsi brevius inscribitur* De reprobis atque maleficis.